

Biblioteka Jagiellonska.



V. b. 45, a.




4562

CIMELIA

VIII. d. 22.

*zibi Iscuro.*

XI. 7. 498



4

v. b. 45a.

CRISTOPHORI  
VARSEVICII,  
PARADOXA.

QVAE ETIAM DIVERSIS LOCIS  
& temporibus, semel & iterum  
prodierunt.



*Cim. Gu. 4562*

CRACOVIAE,  
In Officina Lazari, Anno Domini,  
M. D. xcviii.

*Johna no n. d. ky*

*mhl. Jag.*

Paradoxa sex  
Primum fol. 4

Leoti inter se differat, et  
Civilia incivilia proba.

Secundum fol. 33.

In medijs Christianorū disidijs Tur-  
cica servitutis occurrētur penitentijs.

Tertium f. 65.

Libertas Libertatis mastyx.

Quartum f. 81.

Uno bono melius, et  
dequalitate nihil indignius.

Quintum f. 108

Via Regia magis compendiosa.

Sextum f. 129

Honori et gloriæ ambitio,  
sui ipsius est obitio.

ILLVSTRI ET MAGNIFICO D.  
DOMINO NICOLAO  
ZEBRIDOVIO, SVPREMO REGNI  
MARSALCO, ET CRACOVLEN:

Præfecto, &c. &c.

*(ap. tarco.)*

CHRISTOPHORVS VARSEVICIVS,  
S. P. D.



*M*agna est fuitq̄ semper, Zebroidou, vir-  
tutis opinio tuæ: nam & eo quidem pa-  
tre genitus es, cuius in omni genere lau-  
dis perpetuò viguit industria: & ad ex-  
imiam ac illustrem naturam, ea institutionis tuæ ac-  
ceserat ratio atque conformatio; ut virtutis quàm æ-  
tatis cursum promptiorem esse posse, inde à puero non  
obscurè pollicerère. Ac de patre quidem, at quali  
& quanto illo tuo! verè & non adulatoriè dici id po-  
terit, quòd per omnes omnium militarium honorum, ad  
summum illum belli ducis gradum olim peruenerit,  
domi & foris per varia multipliciaq; bella passim  
& ubiq; versatus. Etenim cum primùm ex ephebis  
excessisset, tyrocinium militiæ suæ sub illius magni  
Hieronymi Laszi Palatini Siradien signis in Hun-  
garia deposuit. Anteposuerat quem meritò Laszus

(.) ij

vel

PRÆFATIO. HTB VII

*vel in illo iuuentutis flore, multis & magnis alijs, sola  
 virtutis ipsius opinione & expectatione excitatus.  
 Hic verò demùm cum in patriam rediisset, & cum  
 multa & non obscura virtutis suæ expressisset ubiq;  
 vestigia, ad illud quod & tibi obtigit munus Auli-  
 corum præfecturæ, & Castellanatum Lublinenà Si-  
 gismundo Augusto Rege suo, est prouectus: in quo,  
 cum pariter cum dignitate & urbanas tractasset  
 res; tandem ingruente graui & periculoso Moscho-  
 niæ bello in Lithuania, magnorum & illustrium Po-  
 lonici nominis præfectorum unus ille extitit impe-  
 rator; quem & ob fortitudinem hostes timere, & ob  
 mansuetudinem consuessent sui amare. Quo tan-  
 dem acciderat, ut cum pro gloria Polonici Lithua-  
 niciq; nominis multa & præclara gessisset; tum eti-  
 am pernobilis de Moscho victoria illa ad Neueli-  
um ipsius auspicijs constiterit, cum summa Regis &  
Regni dignitate, quæ in Sigismundi Augusti Po-  
loniæ Regis Romæ exequijs, potissimo loco posita,  
 spectabatur. Atq; hoc quidem procreatus patre,  
 talis tu etiam ipse perpetuò extitisti; ut & prima, &  
 media, & extrema vitæ tuæ tempora, si modo dici  
 debent extrema, in te & per te sibi responderint do-  
 cuerintq;*

PRAEFATIO:

docuerintque virtutis, quod antè etiam dixi, quàm  
 ætatis cursum esse celeriore. Nam ut primum à  
 pueritia ordiar, deinde tam iuuentutis, quàm pro-  
 uectioris ætatis tuæ initia, & progressus breuiter com-  
 memorem. Primum quidem in funere tanti tui pa-  
 tris, quod comitatus ipse fuerat Sigismundus Au-  
gustus Rex, Lublini te conspecto, magnam omninò  
 spem & expectationem mox de te concepit: paulò post  
 in illustrium aulicorum suorum, quos unus præ cæ-  
 teris alebat regibus, numerum, Varsaviæ in Comi-  
tij cooptauit. A quibus celeriter extinctus, Henri-  
cus Gallus Rex in Poloniam veniens, à poculis suis  
te esse voluit. Demùm Stephanus Rex, Gedanensi  
bello turmæ equitum præfecit: cui cum in expediti-  
onibus contra Moschum, omnibus egregiam nauas-  
ses operam; tum illa ad Staritiam Nicolao Raduilo  
Palatino Vilneñ. Duce, in penitiora usq; Moscho-  
niæ, cum mille equitibus ante exercitum, quibus te  
præfecerat, profectio tua, cum Moschus latebat, & à  
tuis commilitonibus excitatos ignes dolenter è fene-  
stra intuebatur, quid nõ habebat admirationis? Ni-  
hil namq; nec graue, nec calamitosum magis fuerit,  
quàm suorum esse & ulcisci ea non posse malorum

Edo. Zaslym

PRAEFATIO.

*ſpectatorem. Unde Stenſiceñ. ac mox Cracouieñ. præfectura, idem ille Rex te auxit. Hic verò cùm Lanſkorunenſem addidiſſet, Palatinum Lublineñ. & Marſalcum Regni poſtremò etiam declarauit. Quòd ſi mirum alicui videatur, & Palatinos qui ab Episcopis primum tenent in ſenatu locum, Marſalcorum, qui ferè extremum, munere fungi minimè decere arbitretur, nã haud intelligit, quid in Marſalcis regi & regno poſitum ſit dignitatis. Facilius quippè ambire, quàm obire eſt magiſtratum. Qualis cùm tu vnus in multis, & Regis iudicio, & Senatus ſuffragijs, & nobilitatis applauſu repertus ſis; e- quidem cùm tibi, tùm patriæ eo nomine congratulor meæ; & hoc doctrinæ & ingenij mei monimentum, quod ſcio quam ſit exiguum, dico tibi conſecroque lu- bens. Quo demùm auctiùs, quàm vnquã etiam antè edendo, cùm aliorum, tùm vel inprimis Alexandri Marchionis Malaffina, clariffimi & experientiſſimi in re militari viri, de bello gerendo exercituque inſtruendo artis & intelligentiæ rei militaris plena inuerunt me colloquia; qui ſuperiori tempore ex Belgio, in quo propè viginti militauerat annis, ad Germanicum Malaffinam, Pontificis Maximi nũ- tium,*

*\*ſpice*

PRAEFATIO.

tium, suum fratrem veniens, rursus per dispositos equos hinc Romam profectus, Caesaris belli Consiliarius Viennæ est factus: cum idem multò antè Hispaniarum Regis & aliquot turmarum præfectus cum laude extitisset. Quod reliquum est, ut hoc quantumcunque munus meum, sereno à me vultu accipias, & perpetuò commendatum me tibi habeas rogo. Deum interim precatus Opt. Max. ut tui, maiorumque tuorum, patriæ similes plures, ipsum verò te florentem & diuturnum vel in primis præstet. Vale felicissime. Varsavia Calendis Martij. Año. 1598.



# CHRISTOPHORI WARSEWICII PARADOXA.



VI COGNITIONE DIGNISSIMA  
quæq; in Repub. tractant; ponderan-  
das, quàm numerandas sententias po-  
tius existimant. Et haud scio an teme-  
rè. Neq; enim is, qui ludendis talis, di-  
cendis modus est sententiis, rebus cum rebus, ratio-  
nibus cum rationibus, argumentis cum argumentis  
conferendis. Neq; quod plerumq; in alea fit, vt quan-  
tò plura ieceris puncta, are; sic ex plurium opinione,  
in disputatione victoria potiare, limata subtiliùs con-  
tra multitudinem veritate. Nam quantum rectè iu-  
dicantibus autoritatis esse, & opinio vulgi ancillari  
debeat, vel ex illo commento, quod de humani cor-  
poris membris discordia literis proditum est, coniece-  
ris: quæ, vtrum sol tenebricosus, vel secus esset, cùm in-  
ter se disceptare incepissent, solis illù oculis lucidum  
affirmantibus, ad rationem tanquam ad supremum  
iudicem prouocârunt. Hæc verò, cùm pro oculis  
pronunciasset, & reliqua omnia membra indignè  
id tulissent, lucis & tenebrarum discrimen iussa sunt  
declarare. Quod quoniam sine oculorum admini-  
culo præstare haud poterant, auxilio sibi eos sumse-  
runt, & rationi iudici subscripserunt. Quod vel in ali-  
is quoq;

A

is quoq;

cygale ad  
Zbiac

pjks

is quoq; videas rebus etiam minutioribus. Etenim, si  
 sanitati quàm voluptati seruientes cibos tu magis lau-  
daueris; non pondus sed numerum spectaueris exami-  
 nandis sententiis. Equidem tum paucis rectè ambu-  
 lare, quàm claudicare cum multis maluisse, scio non  
 neminem. Verbis quippe vt numis, sed consiliis à  
 multitudine vtendum est disgregatis: cùm, quæ vul-  
 gus fecisset aliquando ferenda, raro aut nunquam lau-  
 danda putauerint sapientes. Age, an vt nauigij ex tem-  
 pestate, sic Reipub. cursum ex vulgi tenueris leuita-  
 te? quòd in vna illa constans est inconstantia: & quod  
 delaudauerit hodie, id vituperauerit postridie, demta  
 omni opinione firmitatis. Quocirca, cùm quædam  
 non vsq; eo inopinabilia sint semperq; fuerint, vt non  
 tam populari trutina, quàm artificis alicuius statera e-  
 xaminata dici potuisse nihilominus videantur; placu-  
 it eadè illa, eodemq; sub nomine, quæ semel & iterũ  
 antea in vulgus edere Paradoxa. Quæ si aliquis secus  
 existimauerit appellanda, de nomine haud laboro, dũ  
 modo id ostendero, res in orbe terrarum non secus  
 geri; & plura re & veritate esse, quæ vulgò non habentur  
 nefaria, propter vnã illam conspirationem in  
 peccatis mutuò sibi conuiuendi. Est enim huius se-  
culi macula quædam, vitia dissimulanter ferre & vir-  
tutẽ fastidire. Quod ego quidem disquirendæ verita-  
tis studium in Reipub. meum, si non omnibus, at cer-  
 tẽ proba-

tè probaturum spero me sanioribus: iis verò vel potissimum, qui non iudicare quàm legere; non damnare quàm singula examinare priùs consuèssent. Sed ut libet negligat sua, carpat quis aliena; & in his, quod aiunt, lynceus, in suis sit talpa: apud me veri valebit semper plus ratio, quàm vulgi opinio; sic, ut ad eò Nili fluuiorum maximi accolis ex vulgo similem dixeris, non neminem, qui ad illa habitantes loca, quæ Catalita appellantur, propter immensum sonitum sensu destituuntur audiendi. Nam ad eum pene modum, ob incredibilem delinquendi siue licentiam, siue dicere maus concordiam, veræ & genuinæ gustu pluri mi excidunt libertatis. Qui utinam quidem serò licet, sed præstat, quàm nunquam, recolligant tandem se; serò rationi obediant; appetitum frænent; facultates tanquam instrumenta bonitatis non prædam audaciæ habeant; Deo Opt. Max. seruiant; & non in domo, sed cogitent semper se esse in diuersorio. Namq; suprema dies ideò nos fugit, quòd quælibet, & suprema pro se cuiq; illucescit. Tam diu deniq; ferùtur diuinitus scelera, quoad multiplicata genera, & magistratum munera eorum nexu non fuerint obligata. Interim tamen, si vel ego quoq; vllos de Repub. præclare merentes reperiri negauerim ciues, amens sim; sed haud scio, si aliis responderint. Nam quotusquisq; non tam in ore, quàm in pectore auet præ se ferre bonitatem

nitatem, & qui viam ingressus rectam, non tam curet vt intendat, quàm ne remittat gradum vel tantillum; & qui postremò meminerit Regū Maiestatem à summo ad media facilius detrahi, quàm tandem à medio ad ima præcipitari. Quo magis quorū interest viderint, quàm multò domuisse se quàm alios, & hostem præuenire quàm ab eo præueniri præstiterit. Æqualitate porrò appetenda in primis, quæ maximè est necessaria: incumbant in animorum libertatem, sed non vitiatam feruent; veritatem & iustitiam colant; ambitionem fugiant; & non tam videri quàm esse velint boni. Hæc quidem, vt initio aspera, mox progressu facilia, beneficio grata, fama gloriosa, exitu ipso salutaria sunt futura. Sed ad rem accedamus.

SECTÆ INTER SE DISSECTÆ, ET CIVILIA IN CIVILIA PRÆLIA.

Con intesti-  
nas civili  
int se dis-  
cordias.

Inter res eas, quæ cum per se cuiq; calamitosa, tum Reip. fuerint exitiales & funesta, nihil civili funestius est discordia; quæ vel vindictæ priuata cupiditate, vel lubrica & præcipiti ambitione, vel iusta diuina ob peccata in mortales ira aliquando excitatur. Nam siue turpitudinè rei quis videat, siue periculi magnitudinem secum ipse consideret, siue deniq; ferocitatem victoriæ animo intueatur; nihil bellis intestinis est a-

trocius

trocius; quantumuis licet integri & quieti ciues in  
 iis triumphauerint: omnis enim vincendi modus est  
 insolens, sed in conciuem insolentissimus. Quo ma-  
 gis, cum omnia bella nunquam, tum vel minimum fu-  
 erint intestina, & cum aliis tum Christianis maxime  
 fugienda; qui in Christo, summo patientiae & mansue-  
 tudinis autore, nulla non exempla habuerint lenita-  
 tis. Est autem indignum, sub humili capite, pedes vel  
 minimum superbire. Iam & reliquae Christianorum  
 res, eo plerumq; loci collocatae sunt & fuerunt; vt non  
 nisi salutis spes in mutua posita sit concordia, cui con-  
 trariis artibus & partibus ad interitum praecipita-  
 mur. Quis enim dubitauerit, quam a modicis & ob-  
 scuris principiis, ad hunc tantum splendorem & po-  
 tentiam discordia nostra Turcae peruenerint? Nam  
 vt Mahometem primum impii dogmatis autorem si-  
 lentio transeam, Ottomanus, a quo ista (si diis placet)  
 parricidialis familia ortu trahit, vnde oriundus fuerit,  
 & quibus artibus in tantam amplitudinem excreuerit,  
 quis ignorat? Etenim cum nec locum, neque focum,  
 neq; deniq; patrem habuisset certu, in eam tum vel  
 maxime venit potentiam, cum per omnia Christiana  
 regna & Prouincias dissidia grassarentur. Ardebant  
 bello Galliae & Angliae regna, inter Philippum Franco-  
 rum & Edoardum Anglorum reges, excitato. Tumul-  
 tuabatur in Graecia, Andronico iuniore auxiliis Liguru

Constantinopolitanum imperium acriter inuadente. Clemens verò quintus, Pontifex Max: ob seditiones Italicas, quibus remediũ nullum afferre poterat, Romã Auinionem sedẽ suam transportãrat. Cedere namq; vel nonnunquam temporì, & mutato licet solo, vni & eidem subiici climati iucunda est vicissitudo. Quod Romæ & Auinioni per longissima locorum interualla licet videre. Quo demum est factum, vt iuris humani prædones, violatores fidei, dedecus pudicitia, tum primũ appellati Turcæ, Tartarorum imperio sensim collabente, suam ad Pontum erigerent potentiam; & hoc eodem Ottomano fugitiuorum duce, viginti & aliquot annis prædis ex vicinis actis, tyrannicum propagarent dominatum. Vt enim olim ruinis albæ Romæ, sic aliorũ occasu, multum Turcæ accrescit hodie potentia. Quæ indies etiam augebitur magis, nisi maturè & seriò occurratur. Nam mox huius Ottomani filius Orchanes dictus, paternũ exemplum imitatus, Nicæam & Nicomediam oppugnare cœpit, & Palæologi ac Cantanzeni intestina in Græcia discordia occasionem non neglexit. Quo ipso propemodum tempore, non modo in Græcia bella ciuilia, sed & in Germania extiterunt; cùm Henricus & Fridericus II. Imperatores pariter eligerentur. Quæ quidem geminata electio, graue & octonnale bellum in Europa excitauit; magnorum quippe motuum initia, quàm exitus

Clemens V

\*

Orchanes  
Ottomani  
f. 69

\*

exitus facilius est inuenisse. Quid? Turcis in Europam gradus, an non primus fuerat, Græcorum cum suo Cæsare dissidium? contra quos, cùm Imperator Græcus, Amuratis Turcici principis auxilia euocasset, factum quidē est breui, vt Turcæ Callipoli & Hellesponto facillimè potirentur. Qui enim infidus fidem, & hostis hospiti seruauerit pacem? Ad eum verò modum aditu ad Hellespontum patefacto, Philippolim & Andrinopolim Turcæ tandem cœperunt, & principatū suum vltèrius protulerunt. Nam idem ille Amurates, Baiazetis filius, Solimano patre occiso, & relicta Pruzia, domiciliū suum Andrinopoli in Tracia fixit, & Asiaticum cum Europæo imperio coniugauit. Grauis tum quoq; inter Pōtiffices simul & semel plures electos extiterat contentio, & urbem ac orbem ciuilia arma cruentabant. Quibus rebus barbari non solum animosiores sed & potentiores iam effecti, Constantinopolim obsidione cingere minimè dubitauerant; & Marco Despote cum vniuersa nobilitate prostrato, Rasciam & Hungariam, duo vel potissima Christianitatis sepimenta, ab ea auulserant; cū intellexisset eosdē Hungaros, cum Saxonibus Transyluanicis, Venetos verò cum Genuensibus, Galeatiū Mediolanensē. Ducem cum Scalieris præliari. Nunquam enim cōmodior offertur occasio tertio, quàm cū inter se inceperint duo, non iure, sed gladio litem velle termi-

nare:

*Amur  
rat  
pruzia  
Andrinopoli  
Tracia*

nare. Vnde & haud dubio, quod dictū est ante, Con-  
 stantinopolim cœpissent, si Deus Opt:Max: solers &  
 prouidus Christianorum parens, Tamerlanem Turca-  
 rum flagellum non excitasset. Is enim decies cente-  
 nis hominum congregatis millibus, Baiazetem Tur-  
 carum Tyrannum ab oppugnatione Bysantij auoca-  
 tum, cum tercentis millibus militum sibi obuiam fa-  
 ctum acie vicit, & deniq; captum, atq; aureis catenis  
 vinctum per immensa terrarum spatia secum in exer-  
 citu circumduxit. Semper namq; vbi minus spera-  
 tur, numen Christianis affulserit diuinitatis. Quanquā  
 illud dolendum, quòd non peræque vt Turcæ vti sci-  
 ant tempore, abutantur non vna & altera rei bene-  
 gerendæ occasione. Nam capto ad eum modum Ba-  
 iazete, cum omnis Ottomanici nominis principes  
 facile exterminari potuissent, Græcorū leuitate Ca-  
 lepinus seruatus est vnus, qui pristinam suorum recu-  
 perauit dignitatem, cū vicinorum rebus & faculta-  
 tibus insidiari denuo cœpisset, non minus fidenter,  
 quàm etiam studiosè. Sic ad seruitutem natis, quæuis,  
 qua institerint, via semper est compendiaria, difficilis  
 verò expediundæ salutis. Nam Calepinus quorun-  
 dam Græcorum adiutus opera, qui Palæologo princi-  
 pi resistebant suo, à patris interitu, tantas subito con-  
 traxit copias, quantæ Bulgaris seruis & Macedonibus  
 facile suffecerant subiugandis. Quos ipsius conatus,  
 & demum

Baiazetem  
 Turcarum  
 Tyrannum  
 ab oppugnatione  
 Bysantij auocatum  
 cum tercentis  
 millibus militum  
 sibi obuiam factum  
 acie vicit, & deniq;  
 captum, atq; aureis  
 catenis vinctum  
 per immensa terrarum  
 spatia secum in exercitu  
 circumduxit.

Calepinus  
 quorundam  
 Græcorum  
 adiutus  
 opera, qui  
 Palæologo  
 principi  
 resistebant  
 suo, à patris  
 interitu,

& demùm quoq; Baiazetis eius filij pares, cùm Sigismundus Romanorum Imperator, idemq; Hungariæ & Bohemiæ rex, retundere voluisset; bis ab eo ad Columbanum primùm, deinde ad Neapolim prælio victus, cymba, cum vno alteroq; præ desperatione conscensa, Constantinopolim vsq; fugiens, fuit delatus. Sic paulò infelices mariti, nec adedò etiam bello solent esse fortunati. Nam eundem illum Sigismundum, præter quòd cum vxoribus perpetuò iurgabatur, varij & ancipites contentionis motus, in Bohemia quoq; exceperant, cùm duce & auctore Zisca Hæreticorum arma in Aquilone grafsarètur: solitus quippe est Sathan, ad optatos exitus, infidorum prouehenda rabie, perfidorum furorem pariter excitasse. Vnde vnas illas sectas in se dissectas verissimè dixeris, & Samsonis vulpeculis, quæ caudis cum facibus colligatæ, capitibus dispares, Philistæorum segetes, olim cõbuserāt, non dissimiles fateare. Omnes enim Hæretici, & sectarij inter se discordes, in vno illo conueniunt, vt magistratui aduersentur. Sed age progrediamur. Etenim in Baiazetis Turcarum principis locum, Mahomete rursus succedente, quæ, & quantæ Tragoediæ ab eo excitatæ fuerint, quis ignorat? Is quippe Valachiam Polonorum, Rasciam Hungarorum, Epyrum Græcorum, prouincias tum primùm aggressus est, cùm Poloni cum Crucigeris Prussicis:

Mahometes  
filius Cal-  
phani: an-  
tig fr. or-  
cannes occi-  
so a patre  
L. de p. av-  
uult.

sicis, Hungari cum Venetis, & Græci cum Græcis de-  
 certarent. Nulla enim furibus & latronibus, aliena  
 ad se rapiendi melior datur ansa, quàm cùm vicina  
 domus fuerit accensa. Quid? Amurates huius Ma-  
hometis filius: an Vladislaum Hungariæ & Poloniæ  
 regē, non tum occidit? cùm & Hungari, suadeñ bello  
 inter se diuisi, & Poloni absente rege submittendis au-  
 xiliis lenti, & qui aliis opem ferre debuerant, langu-  
 di, & ad eò transportandis in Europam contra eum  
 Turcis, quidam etiam proditores extitēre? Aqua ipsa  
clade Christianorum, animos atq; vires fractas, barba-  
 rorum verò auctas nonnulli autumant. Vna enim &  
 altera victoria, improvidè hosti concessa, causa haud  
 dubiè fuerit permultarum. Iam verò sedes & domi-  
 cilium imperii nobilissimum Græciæ Emporium, Tra-  
 ciæ caput & ornamentum, Bysantium, an à Mahome-  
 te eius nominis secundo, tum nō est captum, cùm Al-  
 bertus Brandeburgicus, Achylles Germanicus dictus,  
 contra imperij vrbes grauissimum bellum gereret; &  
 Columnen. ac Vrsinorum factiones, Romam Italiamq;  
 infestarent? Qui idem Mahometes, magnis bello pro-  
 gressibus factis, & duobus imperiis, Constantinopo-  
 litano & Trapezuntino, compluribusq; regnis subiu-  
 gatis, eò iam audaciæ potentiaq; venerat; vt ad vrbs  
 orbisq; imperium vehementer aspiraret, Hydruntum  
 in Italia caperet, & multa vastaq; alia cogitaret. Sed  
 nec

Amura-  
 tes 2us  
 mahometi  
 filius

mahometes  
 2us, Amu-  
 ratis 2di  
 filius, qv  
 solv regnavet  
 frem occidit  
 salutari in-  
 perator an-  
 ni 1241  
 21.

1500

nec opinatā, & sapiūs ambitiosorū consiliorum mors  
 obstitit, perturbauitq; Mortales namq; mortalia, per-  
 petuo secum expēdentes, beati Dei, suiq; obliti, non  
 solent esse diurni. Huius verò Baiazetis, filius Sfor-  
 ciæ Mediolanē. instinctu, an non vel inprimis fœdus  
 cum Venetis tum violauit, & Coronē atq; Mettonē &  
 Naupactum ijs ademit; cū sursum atq; deorsum tur-  
 bata in Italia essent omnia, & Gallorum Rex Carolus  
 octauus ad regnum Neapolitanū recuperandū, maxi-  
 mo cum exercitu proficisceretur? Vnde noui in Italia  
 mores, noui morbi, noua arma, noui habitus, sub ipsū  
 sesquimillesimum, à partu Virginis annum, fuisse exor-  
 ti memorātur. Multi enim alij anni, sed maximè Cen-  
 tenarij, aut eorum initia, vel fines miraculis semper a-  
 liquibus fiunt insignes. Taceo Selymum huius Baia-  
 zetis filium, & parricidam crudelissimum, qui ne pa-  
 tris quidem mortem senis expectare potuit; & Cælaris  
 Borgiæ sub pontificatu Alexandri sexti impotenti in  
 Italia dominatu, ac demū & cruentissimo, ad Ra-  
 uennam inter Christianos prælio excitato, arma sua  
 in Asiam securè vertit; & Arabis, Ægyptiis, Cilici-  
 bus, & Caramannis, vna ferè ætate, subiugatis, impe-  
 rium suum, quàm antè, maius & formidolosius longè  
 effecit. Difficilius namq; fuerit, paulò altius semel a-  
 scendisse, quàm in supremis tandem versari. Quem  
 Solimanus eius filius subsecutus, non modò imperij,

B 2

sed &amp;

Baiazetes  
 200 marks  
 neki zdi  
 fign. auj  
 fu rahn wjg  
 mustassa in  
 uenulo ote  
 vat ob vti  
 reneis rian  
 alter fu na  
 tu m' rian  
 zizing fer  
 h penisse  
 veneno cum  
 ad p'nficis  
 h'mu' uah  
 i pet.  
 fol. 38.

X  
 Selym Ba-  
 iazetis filius  
 fign. p'nficis  
 et sub inter-  
 febat in an-  
 n' p'nficis

Solimanus  
 Selym filius  
 vni del

1500

sed & ambitionis paternæ hæres, in ea planè incidit  
 tēpora, quæ Reip. Christianæ fuerunt maximè exitialia  
 & funesta, cū Martinus Luterus sui pseudo Euangelij  
 facē Vitembergæ accendisset: secari ille sectas inter se  
 docuit, & bellis Ciuilibus, valde inciuilibus Europā fu-  
 nestauit. De quo aliquādo, cū quotū annum ageret,  
 idem Solimanus interrogasset, & quod quinquagenari-  
 us esset, responsum fuisset: Dolendum, inquit, certè,  
 quòd per ætatem nauare ipsi nobis operam haud ita  
 amplius licuerit. Hic igitur Taurinū, non modò Hun-  
 garia, sed & Europæ propugnaculū primū vi coepit,  
 cui exiguo ære cōmeatu empto, & secundo Danubio  
 Buda demisso, auxilium ferri proculdubiò potuisset.  
 Verūm modici sumptus & laboris tædium, magnæ fuit  
 causæ sæpius grauiorum. Paulò verò post, & Ludouicū  
 Hungariæ regē, ipsum (Rhodiis prius expugnatis) cū  
 iam Luteranus ille foetor Hungariā inuasisset, ad Mo-  
 haczū interfecit. At quomodò interfecerit, sine dolo-  
 re, cōmemorari non potest. Etenim, quem fuga debe-  
 bat fecisse saluum, hunc exiguū aquæ obruisse constat  
 gurgitem: quem victorē prælium; hunc ciues, & socij  
 reddiderunt mortuum: quem bello egregij duces ani-  
 matū, hunc Monachi ex cœnobio extracti, exercituiq;  
 præesse iussi desperatum ineundo prælio reddiderunt.  
 Vbiq; enim, sed maximè in Hūgaria Sacerdotibus du-  
 ctandis ordinibus male successit. Quid porrò Hungaro-  
 rum, &

Solimanus  
 Lutheri  
 & m. us.

idem aiebat  
 se scire ee  
 Romæ et totū  
 occidentē eo  
 quòd sit puer  
 boi baptizatus  
 constantin  
 si banti imp  
 nisi transtulit.

X  
 Paulus Tomoreus Archiep. Collorensis  
 monacho Franciscano bellū ipse dirigebat.

rum, & eorum regis clades? effecitné alios cautiore?  
 nihil profectò minus: imo surdis auribus, militum  
 Rhodiorum Romæ, surdis Hungarorum, in comitiis  
 imperij Spiræ, auditæ sunt quæstimoniam, vsq; eò; vt ne  
 legatis eorum quidem patrio more incedentibus, fu-  
 erit parsum, quò minus vt Turcæ ipsi, ob habitum Tur-  
 cico similem, à Germanis riderentur. Sic cum religi-  
 one germanorum Germanitas, & ipsa mutata prope  
 est fortitudo. At enim, quid ex hac & tanta rerum om-  
 nium confusione, atq; discordia dixisses audiuisse? Au-  
 di; & manda memoriæ. Primùm omnium Solimanus  
Turca, crudelior & animosior in nos factus, vel Ludo-  
uici regis à se occisi, morte non fuit contentus; sed  
Viennam Austriæ, obsidione cinxit, & vsq; ad Lincium  
populabundus excurrit. cùm vix non vno illo, eodèq;  
aut paulò modico ante tempore, à Cæsarianis Ducibus,  
Franciscus Gallorum rex captus, & Roma expu-  
gnata, & bellum atrox Rusticanum, in Germania fuisset  
excitatum. Raro enim, nisi geminatae clades, orbis  
terrarum inurunt calamitates: quæ omnia, vires & ani-  
mmum hostibus dedisse, nostris constat ademisse. Nam  
eum modum, Rhodum, insulam celeberrimam, exu-  
lum profugium, naufragum receptaculum amisimus.  
Ad eum modum diuiso Senatu, distracto populo, Hun-  
gariam dilaniatam videmus. Ad eum modum in alto  
seditionum, & ipsi fluitamur. Bonus erat Adrianus

B 3

Pontifex

X Hinc Adriano Hieronymus Balbo, vngarico le-  
 gati in candidatu senatu vixit, ac hunc tur-  
 citatem explorabat in rebus.  
 Fabio maximo in studio rem Rom. vixit, in P. S.  
 alijque rem Romanam christianis amodo peri-  
 turus videntur.

Pontifex, sed nescio si non tantummodo bonus; cum paupertatis nescio qua excusatione, Rhodios milites pereuntes, nihil minus quàm voluerit adiuuuisse. Optimus Rex habebatur Ferdinandus: verùm in minus felicia virtus ipsius incidere tempora; cum pro Hungaria tuenda, vix auxiliorum aliquid aliquando à sociis impetrauerit. Bellum interim vnum ex altero inter Christianos ferebatur: statio contra Turcas, Remptuendi, deserebatur: pristinum decus & gloria perdebatur; & nunc in Italia Senense, nunc in Germania Saxonicum, nunc in Gallijs Meten. vt in multis pauca memorem, bella sunt gesta, & in propria viscera arma conuersa. Sed hæc nimis antiqua fortasse dixeris. Quid igitur Cyprus? Nonné tùm perijt, cum armis ciuilibus arderent Gallia, cum tumultuaretur in Belgio, cum Dania & Suecia nouenali bello inter se decertarēt? Occasiones interim benè gerendæ in Turcas rei, sunt fueruntq; semper omnes neglectæ; ambigua de bello gerendo pactiones, post longas verborum ambages, & anfractus initæ: ducibus belli variæ & multiplices partes datæ, & tantum non decantatus est triumphus ante victoriam. Qua vt potiti tandem etiam simus; quæro, an ea vti sciamus? & an nobis tantummodo carinæ, illi regna & potissimæ maritimæ oræ non ceserunt sub imperium? Quod & Selymum ipsum Turcarum Cæsarem ferunt dixisse, & sibi quidem

dem abrafam barbam, Venetis brachium dextrum, à se esse amputatum, quòd nunquam cresceret, legato nescio cui exprobrasse. Cuius mali causam si quæstieris, haud scio si aliam inueneris, quàm, qua eundem Selymum, Buda capta, Ferdinandi Romanorum Regis legatis dicitur insultasse; cùm Ferdinandum instar draconis vnus caudæ, & multorū capitum, se verò vnus capitum, & multarum caudarum draconem profiteretur. Quo fieret, vt ille quocunq; vellet ingrederetur. Ferdinandum verò multa & varia inter se capita, conantem aliquid præstare, facile impedirent. Quod vtinam quidem socordia, & dissensione nostra id approbante, minus verè protulisset. Sic enim ferè se habet, vt cùm ad bellum suscipiendum & gerendum, tandè venit, omnes præse, vix aliquid velit in nobis subesse. Omnia deniq; vacua fortitudinis, plena sunt arrogantia & vanitatis. Nos oratoribus, Turca bellatoribus; nōs diuicendi subtilitate, ille rei bene gerendæ celeritate delectetur; hîc postremò vitiorum otium; in Turcia armorum est negotium: hîc otiosis filogismis; ibi hastis fit certamen: hîc dies comitijs; ibi lustrandis dicitur copijs: hîc noua, si Deo placet religio; ibi innouatur dominatus accessio: hîc nos atterunt; illîc Turcam locupletant bellicæ expeditiones; & quæ semel imposuerit tributa, durant; nos identidem faciunt exacerbatis

magis

magis animis, ab ijs proficisci. Ac breuiter, nihil non ferè, tam bello quàm pace, nobis cladem, Turcæ verò dat incrementum, & auctoritatem. Nam & ea quæ apud nos subinde habentur Comitia, excitauerint quæ sedauerint, intestina magis odia; & dum vltro citroq; in ijs disputatur, vix non semper aliquid, à Turcis expugnatur, cum probro & ignominia Christiani nominis, sempiterna. Sic sub Vormunen. imperij comitis Hungaria Taurinum, sub Norembergeñ. Rhodum, sub Spirensibus Budam, sub Augustanis Strigonium captum esse memorant: sic omnes ferè nostri Conuentus, interitum nobis accelerant: sic nos defraudaerunt tempora, quoties secuti vanas spes nos expectauerimus meliora. Qui ita inquires? Quia quòd olim Nasica suis Romanis, hoc mihi non nemo prædixisse videtur, & Christianis; eos, qui externis armis non possent, suis esse perituros. Nam rectè quidem Tacitus, Romani imperij hostibus, sic aliquando est imprecatus. quo nomine suas quoq; ad Deum preces Turcæ in nos ingeminant. Maneat, inquit, gentibus, si non amor nostri, at certè odium sui, quando vrgentibus Romani imperij fatis, iam nihil fortuna præstare maius potest, quàm hostium discordiam. sed nos viderimus, vtrum hostium pernicioso consiliis, an verò salutis & necessitati nostræ parere magis expediat, & id facere, quod hostis suadet, non quod

Reipub

Reipub: inclinatio & concordia postulat ratio, quòd præceptis & lubrica cupiditas, non quòd proximi charitas, & eos deniq; consecrari triumphos, in quibus & hostis, quod suum fuerit, ammittat, & victor dispareat. Ferunt Pyrrhum Epirotarum regem, cum semel & iterum iniisset cum hoste prælium, & multos suorum desiderasset, tandem exclamasse: Miserum, me inquit, qui si adhuc tertio vicero, haud scio, si meorum superstitem aliquem videro aliquando. & rectè id quidem. Perinde enim fuerit, furore in acie Martis, quàm suæ ipsius partis impotentia animi occidisse. Quod hodie certè timendum etiam est Christianis. Nam tam diu infestis armis inter se cõcurrerint, quoad tandem præda futuri sunt omnes Turcæ victoris: cum nihil quàm in suis triumphasse sit infelicius; & sæpè honestam causam, inhonestissima victoria subsequatur. Quod vel antiquissimis quibusq; exemplis potest probari. Inferamus namq; in omnem antiquitatem oculos, & Sullana illa Marianaq; tempora Romæ, mentis acie contemplemur. Quàm turpis & non necessaria ultio longiùs etiam quàm par fuit processit, & honestissima causa inhonestissimum exitum habuit; quæ nobilitatis auctoritate, pulchrè primùm defensa, urbem, & multas Italiæ partes tandem fœdavit? Quo adhuc ipso Sulla aut Mario, C. Cæsarem crudeliorem fuisse, vult alicubi Cicero: vtpotè cum in causa, vt ille

C

vocat

NB

vocat, impia, crudeliore vsus sit victoria; & non solum singulorum ciuium bona publicauerit, sed gentes & nationes vno calamitatis genere comprehenderit vniuersas. Plurimum enim differt, vtrum priuatim aliquis alicui, an promiscue omnibus velit esse iniurius. Taceo verò hoc loco posteriorum etiam temporum, in ciuili victoria crudelitatis exempla planè stupenda.

Quis enim nescit, in factiosis Italia vrbibus, quæ sub Guelforum, & Gibellinorum nomine, nunc Pontificis, nunc Imperatorum sequebantur partes, tantum furorem quorundam extitisse; vt qui aduersè factionis in potestatem hostium redacti fuissent, viui nonnulli cuncte exuerentur; ex domorum fastigio præcipites alij agerentur; pueri ipsorum in cunis vagientes, occiderentur; matronarum uteri scinderentur? Est enim bellorum ciuiliū hoc quodam modo proprium, nullum facere finem conciuem persequendi, & in eo nunc exultare victorem, nunc victum perpetua vindictæ cupiditate, tanquam æstum concitari; vt ad eum modum, veluti quædam iniuriarum perennis cunctos maneat vicissitudo. Age enim recentiora etiam, si recentiora dici possunt, aspiciamus. Et quisquam dubitauerit, Zyska, patriæ parricida duce, bello illo in Bohemia seditiosorum intestino, tantum sanguinis effusum, tot opulentissima cœnobia destructa, tot pulcherrima Xenodochia euersa fuisse; quot nunc vel infinitis numum

Bohemia.

1000 aureo-

contra  
Lutetia  
sepulch  
m.  
h. d. pag.

aureorum millibus non repararentur? Demoliendi namq; multa publica ædificia, via lógè magis est compendiaria, quàm vel aliqua aliquando erigendi: & plerumq; ita accidit; vt quod auorum pietas ædificauerit, nepotum impietas demoliatur & euertat. Quid verò posterius etiam factum in Galliis sit, horret animus retulisse. Et vbi in media vnquam barbaria tanta extitit crudelitas, quanta in ipsis nobilissimi illius regni visceribus, ab ipsismet indigenitalibus est exercitata? cùm tot magnifica templa, & monasteria diruta, tot mortuorum sepulchra violata, tot millia religiosorum cæsa, & ipsa regum defunctorum capita, per ludibrium tota Gallia circumlata conspexisses; vt Belgarum horribiles seditionum motus, & Angliæ laniatus hoc loco taceamus. Funestant quippe omnia, exulceratis vtrinq; animis, magis arma suorum, quàm hostium externorum. Quæ cùm ita sint, & cùm quòd cuncta contineat harmonia, quòd ornet concinnitate, quòd augeat, nihil melius sit, concordia. Fugiendæ vel inprimis ciuiles sunt dissensiones, quæ tot principatus, tot regna, tot imperia, euerterunt: & non modò vrbibus Prouinciis, dinastis, aut regibus, sed priuatis etiam domibus, familiis, & cunctis adeò mortalibus pestem & exitium apportarunt. Quid namq;? an si tu hominẽ aliquem, ita bene moratum fortè videres, qui non dissimilia, sed adeò etiã faceret, & diceret semper & vbiq;

contra vno  
 letos  
 sepulchris  
 m.  
 h. d. no. g. r. i. s.

despectui

sibi contraria, non haberes, vt par esset eum despici-  
 tui? & si idem videres patrem familias, qui rem domo-  
 sticam, qui filiorum educationem, qui maiorum tur-  
 paret & inquinaret ornamenta, non miserum domi, non  
 foris ridiculum, non omnibus despiciabilem iure cen-  
 seres? Ad eum modum, & Christiana habet se Respub.  
 quæ si repugnantibus consiliis, si contrariis principum  
 actionibus identidem concutietur; ruat postremo ne-  
 cesse est, nec vel ipsa salus eam saluabit. Vt enim homi-  
num, sic & regnorum finis, tandem fatalis. Quo magis  
 Ulysses illum, sapientissimum, à suo Homero, merito  
 iudicatum esse video: qui, cum pro tot acceptis ab Al-  
 cinoi regis filia beneficiis, quod illi rependisset, non  
 haberet; vnum illud maxime precatus diuinitus fue-  
 rat; vt virum, liberosque concordem, perpetuo sortiretur.  
 Est enim pax & concordia, omnibus optata; sed prin-  
 cipibus & coniugatis optatissima. Qua si seipsos priua-  
 uerint, quando minus crediderint, euertentur. Quos  
 enim natura genuit, tanquam fratres; nefas est, dissen-  
 sionem efficere hostes, & in furorem actis, ea subministra-  
 re arma, quibus vincere luctuosum, cadere fuerit ne-  
 fandum; & de quibus in pace ne semel disceptatur, cum  
 belli increbuit suspicio, nihil non sursum & deorsum  
 agitur. Quæ quidem externa bella, ad eum admini-  
 strantur finem, vt pacate viuamus; intestina, vt mutuis  
 armis cadamus, quæ nec opinantibus sæpè occurrunt.

Nulla

Nulla enim tyrannis est grauior, quàm populi furor,  
 & seditio, quæ & priuatos focos, & publicam euerit  
 libertatem. Quam vt vitemus, & priuatis & publicis  
 à Deo Opt: Max: contendendū est precibus. Tandē  
 verò etiam danda est opera, ne quod fugere videri vo-  
 lumus, iniurias aliis inferendo, vltro ipsi prosequamur.  
 Nihil quidem est amentius, quàm id agere, cuius tan-  
 dem te poeniteat, & cuius vsu & exercitio breui desti-  
 tuare. Non omnis victoria utilis, ac nec adeò fuerit fa-  
 lutaris. Salsè Tragicus, Amicis inquit dominabere, si  
tantum viceris, quantum volueris. Vnde & Orator ille  
 Græcus, eam victoriam esse optimam, cum aut filii pa-  
rentibus, aut ciues cederent ciuibus, testabatur. & re-  
 ctè id quidem. Si enim in obsidione vrbium, vel mu-  
 nitionum, discordibus inter se vigilibus, nihil boni spe-  
 res; quantò magis in Repub: principibus, inter se dis-  
 fidentibus, cum metu & horrore ruinam necessariò  
 expectes? Quo enim plures, qui luxata mouent, ex-  
 titerint; eò illius ædificii difficilior fuerit curatio. Et  
 non ineptè quidam venenum imperiorum, dixerat dis-  
cordiam: quia, quam immortalem esse par est, morta-  
 lium dissensione, mortalis & ipsa efficitur Respub: ac  
 sicuti febris quædam sensim, sed sine sensu humanum  
 conficit corpus: sic interna paulatim gliscens seditio,  
 non prius cessauerit, quàm vniuersa Resp: tandem la-  
 bascat. Plures quippe populi armis ceciderunt suis,  
 quàm

quàm vel vnquam externis. Quo magis curandum est, vt quàm longissimè à nobis omnis intestina absit dissensio: & eodem quod aiunt, telo & clypeo tectos, ad internecionem non deeamur. In omni namq; memoria suorum saluti, semper consultum Christi hostiū est insidiatum; à quibus non modò natura, & consuetudine, sed ipsa separamur etiam religione, quæ à religandis animis dicta, communicatione cum infidis consiliorum est prophanata. Fit enim nonnunquam, vt propter ambitiosa consilia, opinionem saluti, quis anteposuerit suæ, & vita quàm sentētia maluerit decedere. Quod omninò in Repub: est fugiendum. nam tantùm abest, vt rationi concordia & inclinationi cōmunium temporū debeamus in Repub: aliquid denegasse; vt etiam in & pro ea mors, non illibenter sit appetenda. Satis enim superest memorabile, quòd autor ille Græcus scripsit Hesiodus: contentionis genera esse duo, alterum optimum, & alterum deterimum. ac ex primo quidem æmulationes, quibus ad virtutem homines accederent, nascerentur: ex altero scaturiret seditio; de qua sic alicubi poëta.

*Principio parua est, terram sed protinus imis*

*Contingens pedibus, caput inter nubila condit.*

Quod genus contentioni fugiendum est omninò: curandumq; vel maximè, vt nos ipsos, quàm alios potius vincamus, & nos nostraq; omnia, ad mutuam concordiam,

*Æmulationis in  
bono. qd. a. seditio.*

diam, referamus. Etenim cùm interni, quàm externi belli dispar sit fueritq; semper ratio, non statim eum, quem bello ciuili potentiozem eundem & feliciozem, perpetuò credas esse futurum: cùm hæc in orbem ducantur, & Mars communis ancepsq; & dubius exitus sit præliorum. Quo interdum non expectato etiam, quieti & integri ciues ipsi, tanquam à somno excitantur, & partim misericordia erga victos, partim inuidentia erga victores, arma capessunt. Miseratio namq; vel nullius oratione euocata, præsto est pereuntibus, & victricia arma, quid de me aut altero statuere voluerint, pro se quisq; extimescit. Quorum quidem bellorum ciuiliu exitus olim Romani animo contemplati, vel ea dulcedine gloriæ, quæ ad res gerendas cunctos accendit, bellatores priuatos voluerunt: & ne cuiquam pro recuperato, sed pro aucto propagatoq; imperio triumphus decerneretur, edictum promulgârunt: propterea, quòd publici gaudij significatione ea indigna videatur victoria, quæ non hostium patriæ, sed ciuili sanguine constitisset. Tantùm quippe differt, adijciat an detractũ quis restituat, quantum à principio beneficij ad finem iniuriæ siue differetiæ, siue fuerit interualli. Hinc (vt non modò præceptis, sed exemplis Romanorum, idem ipsum comprobemus) Catullus, M. Lepido, collega suo, cum omnibus copiis prorsus deleto, moderatũ gaudium præferens, in urbem rediit. Hinc C. Antonius Ca-

nius Catilinæ victor, absterfos enses in Castra retulit.  
 Hinc deniq; Marius ipse cruoris ciuilis heluo, aduer-  
 sariis cæsis, ad Deorum templa, non repente cucur-  
 rit. Diuinum enim numen, inimicū ciuilis est cruoris, &  
 primus impetus expers consilii & rationis. Iam verò C.  
 Pompeius, qui dux, quā miles, triumphalis quàm cōsula  
 ris prius extitit; an vnus belli ciuilis flāma, quæ aut vo-  
 lūtaria aut nō fuit necessaria, res à se gestas, nō maximo-  
 perè defœdauit? Quid Caius Cefar? quo collatis signis,  
 nemo imperatorū toties conflixit, & qui Europā cæde,  
Africā consilio, Asiam celeritate domuit; an nō omniū  
 infelicissimè vitam & imperium suum terminauit? con-  
 suetudinem namq; seruendi, potest vel aliquis afferre  
 populo; sed diu impotenter, dominari nunquam se-  
 cundò. Non enim otiosè ad triumphandum, sed ad  
 rectè regendum principes eliguntur. Et quisquam du-  
 bitabit, nihil vindicta foedius, & relata gratia esse præ-  
 stantiùs; quanquam gratia oneri, vltio sit voluptati?  
 Quam, quò minùs postulatis deponi, aut communi  
 necessitate alleuari, aut longinquitate temporis mi-  
 nuui patiari, nemo prohibuerit. Verùm, quò minùs re-  
 feras, aut habeas duntaxat gratiam, nec temporis occa-  
 sio, neq; Reipub. ratio, neq; propter vetustatem, vlla  
 excusauerit obliuio: accipienti namq; non conferenti  
beneficia mentem memorem imprecantur sapientes.  
 Vnde & Lacones, vnum illud numen, cui dederant no-  
 men no-

men precabantur diuinitatis, vt causas ignoscendi haberent potius aliquas, quàm vlciscendi occasiones etiam infinitas. Non enim magnis idoneus est tractandis, qui magna animi laborauerit impotentia, & non tam persequi alienas, quàm suas vult vlcisci iniurias. cum & Alexander magnus haud scio, si magnus dictus fuisset, si illud crebrò in ore non habuisset: Regium esse cum bene feceris, malè audire. Etenim hac vna magnifica, magnoq; principe voce digna, testatus procul dubiò est, non solum in regni, sed & in virtutis paternæ successisse se hæreditatem. Ac pulchrù sanè fuerit, quod de eodem Philippo, Alexandri magni patre, proditum est memoriæ: cum de quodam, qui ipsi obloquebatur, fortè audisset, multis, vt in exiliù eum relegasset, suadentibus respondisse: Quid si verò, inquit, adhuc his deteriora in exilio loqueretur? Nam hoc responso, quòd maledicum non punierit, clementiæ; quòd contempserit, excelsi cuiusdam animi; quòd in exilium non egerit, prudentiæ exemplum reliquerat singulare. & reuera, si maledicta iacentè semel spreueris; nã ille malefacti conscientiæ punctus, à sua destiterit leuitate: quòd si ei succensueris, præter quod obtrectandi augebis cupiditatem, etiam illa quæ de te antea dixerat, verissima esse testabere. Sed quotusquisq; est, qui ista intelligat? cum plures cupiditati & animi impotentia ancillentur suæ, quàm infirmitati commiserentur alienæ.

D

Interim

*† sic dicitur  
† magni  
alexandri.*

Interim tamen, qui has tam præclaras, atque eximias virtutes parui duxerit faciendas, næ ille solem è mundo tollere velle videatur. Quo enim sine his virtutibus pacto, in tanta rerum & ingeniorum, fortunæq; ipsius ac conditionis disparitate, paritas retinebitur animorū, quæ humanæ consociationis parens, altrix internæ pacis, externæ est præsidium? quasi vero, quod medici suadent, curare contraria contrariis, idem cordatis non expedierit præstitisse? vt videlicet neminem odio impotenter prosequendo, neminem temerè ledendo, obtrectando malitiosè nemini, aliorum nequitiam bonitate, amentiam ratione, temeritatem consilio, furorem peruincant mansuetudine. Fuit enim vincere semper laudatum, sed virtute laudatissimum. Iam si medici mente captorum vitia sufferunt; quid nos aliorum imò verò & nostra non sustineamus in ijs vitia? Rarus namq; ille est, qui quod reprehenderit in altero, id, si verum fateri velit, non agnoscat in se ipso. Postremò quo ore, cæleste illud æternumq; numen, nostrum appellabimus patrem; cùm nobis eius liberis, nulla animorum studiorumq; fuerit consensio? & quâ aliis habeamur pares, cùm quos hic despexerimus, illi perpetuæ mancipabunt nos seruituti? Hem, quàm perfidè oramus, vt regnum Dei adueniat? cùm in eo regno non alia, quàm æternæ quietis, æternæ pacis, æternæ beatitudinis firma sit possessio. Quid? Christus Opt: Max: concordia &

pergruie

diæ & amoris symbolum, cœnam suam nobis exhibuit, & nos in mediis versetur turbis atq; dissidiis? pacem suam nobis dedit, pacem reliquit: nos eam auersemur? Remittere denique peccata nostra clarè promisit: sed ita ut nos quoq; aliis dimittamus, & nos nihil minus fecerimus? O amentiam! Et quid publicanis meliores? quid pseudoprophetis iustiores futuri sumus? qui & ipsi odio non habebant eos, qui iniuriam nullam eis fecissent: sed nihilominus tamen, non illum imitabantur, qui super iustos & iniustos pluit: qui pro interfecto-ribus suis orat: qui salutis & commodi nostri gratia, omnia nobis largitur, & subministrat, & cuius exemplum nostrum documentum, mors per fugium, doctrina est amuletum. Fac moderationem, animi abiectio- nem, mansuetudinem, formidinem, firmitatem, stuporem, quis appellauerit? Enimuerò ignoraueris, summi rectoris & opificis imperium, perfectissimi artificis opus & artificium, totius bonitatis exemplum vulgi iudicio, iure & merito præferendum? apud cuius tribunal dictorum, factorumq; omnium exactissima reddenda est ratio, nec admittetur prouocatio, nec vlla valebit excusatio. Quid? An præter hanc ipsam præmiorum spem, & æternorū cruciatuum formidinem, vel etiam iis qui à rogo nihil superesse hominis crediderant, hæ, si- milisq; virtutes commendatissimæ non fuerunt? & nos Christiani odio eas habeamus? nos auersemur? nos mu-

tuis cadamus armis, & intestinis pereamus dissidiis? Vna illa concordia, res vel minimas fouet; dissensio verò maximas labefactat: vna illa virtus, vel in mediis tenebris lucet, & alienis sordibus nunquam omninò obsolescit. Quo magis vindictæ cupiditate, nihil putemus esse turpius, bellis verò ciuilibus, inciuilibus. in quibus, quis multitudinem interfectorum, quis spolia vrbium, quis vastitatem agrorum, posset non modò complecti orando, sed percensere numerando? Hæc certè, similiaq; bella, bella minimè vnquã fuerunt: hæc in bonorù, & patriæ suæ amantium ciuium, deliberationē non venerunt: hæc tot gentes atq; nationes, hæc tot prouincias, tot regna, tot imperia euerterunt; ex quibus quid & adhuc malorum metuendum sit, quid calamitatum cum horrore circumspectandum, qui volunt, si non corporis, animi oculis intueantur. Et quid habent Africa Hispaniæ infestius? & num vna ex parte Africo littori Galliæ non sunt expositæ? num Pannoniæ periculum, quàm præsidium Germaniæ, Valachia Poloniæ, Epyrus Italiæ, non magis denunciat? Nauigauit olim Romanus in Africam Cato, & vt conciuibus suis, aduersus Carthaginem bellum persuadere potuisset, ficus recentes ex hostico attulerat. Quibus visis Romani in tam vicino periculo, euigilandum sibi esse duxerunt, & postremò etiam Carthaginem deleuerunt. Vos verò non dicam vicinitatis terrore, sed penè ipso Turcicarum tubarum clango-

clangore, ab hoc, vt ita dicam, lethargo quis excita-  
 uerit? Multò adhuc citiùs Appollonia Hydrunto Tur-  
 cæ hodie mare traijciunt; & non, vt olim rex Coruinus  
 Matthias Vienna Budam; sed Iaurino in mediam ferè  
 Germaniam tepesactû miliû, ijdem inferrent. Quorsum  
 isti, si Deo placent, vestri enses, non ad defendendû, sed  
 ad diffundendû Christianum sanguinem amplius acu-  
 untur? Tandem aliquando cum perfido debellandû est  
 hoste, & atrox immaneq; bellum necessariò (si sapimus)  
 auertendum. Quo olim consilio, ab Hannibalis armis,  
 Italiã Scipio liberã fecit, & quod rursus Hannibal cõtra  
 Romanos Antiocho dedit, Croesus contra reginã To-  
 myrim, Cyro suggessit, & quo deniq; Agatocles, ab ho-  
 stibus quos sustinere non poterat, pacem impetrauit.  
 Est enim inferentis, quàm propulsantis bellum, impe-  
 tus maior, & opinio auctoris grauior, & ipse deniq; ap-  
 paratus belli fama celebrior: quæ vna efficit, vt aut in  
 existimatione ab hostibus aliqua, aut prorsus contem-  
 ptui habeamur. Iam & longè à domo semel profectus;  
 non peræquè omnia hosti obieceris, militem, quo cum  
 pugnaueris, coniugem quam violauerit, liberos quos  
 stuprauerit, parentes quos diuexauerit, domicilia quæ  
 incenderit, patriam denique ipsam, quam vastauerit,  
 & quæ omnes omnium charitates complexa, antiqui-  
 or parens ab omnibus iurè est appellata. quæ quidem  
 si simul conferantur cuncta, quauis morte sunt, e-  
 runtq;

Christophori Varseuicij

o  
 runtq; semper grauiora. Quæ tamen ipsa vtinam sal-  
 tem aliqua ex parte cognoscantur, & grauius laboran-  
 ti Reipu. opportuna remedia maturè afferantur. Quo-  
 tus enim quisque fuerit, qui non tam sua, quàm Chri-  
 sti Opt: Max: moueatur contumelia: qui, quæ eius  
 gloriæ sunt despiciat: qui Christiani imperij impen-  
 dentes ruinas, qui nostra erga eum obseruantia mu-  
 nera spectet; vel tacitus tantum secum ipse recogno-  
 scat. Eripere, Iesu Christe, ex dæmonum potestate, tu  
olim nos potuisti: nos hæreditatem tuam sanguine tuo  
sacratam, ex faucibus canum non possumus, ac ne vo-  
lumus quidem. Tu pro nobis ad mortem spontè te ob-  
 tulisti: nos mortem pro te communè, & incertos præ-  
 liorum exitus, refugimus. Tu nos liberaſti sanguine:  
 nos te confitemur vix nōmine, patrimonio tuo vindic-  
 ando. Et quid pro religione pugnare videri volumus,  
 cūm religionē Christi, re & veritate abnegamus? quid  
 conscientias nostras liberas esse cupimus, cūm seruitu-  
 ti Turcicæ vltro nos subijcimus? quid filij appellari de-  
 sideramus liberae, cūm filijs nos mancipamus seruæ?  
 & quid nobis in alios vsurpamus principatum, cūm in  
 nos ipsi Turcicum attrahimus dominatū? Hem, quàm  
 nefarium fuerit ferrum in Christianos stringere, in ho-  
 stes crucis recondere, pro angustis terminis digladiari,  
 & amplissimis regnis imperijsque spoliari. Quid non  
Græciæ vrbium, quæ diuisa sub vnus venerunt impe-  
 rium,

si simile illi  
 exemplo  
 et qd in fine  
 bonica.  
 et. confin:  
 fates. actu.  
 tem terre  
 p. h. t. v. m.  
 C. v. d. i. p. t.  
 C. v. d. i. s. b.  
 C. v. d. i. e.

X  
 L. a. v.  
 non  
 qua  
 miu  
 de  
 mex  
 u. p.  
 lea

riū, moueamur exemplo? quid non Scyluri altero? qui  
iam moriturus filios ad fraternam inter se concordiam  
colendam diligenter adhortatus cū fuisset, tandem  
etiam virgarum accepit manipulum, quem vt perfrin-  
gerent, postulauit; quod cū eorum præstitisset ne-  
mo, disrupto demum fasciculo, singulis singulas dedit  
virgas; quas cū subito, vt imperatum fuerat, confre-  
gissent: Sic & vos, inquit, si concordēs non fueritis,  
confringemini. Quæ enim salus saluare eos potest, qui  
citato veluti gradu, ad exitium ruunt ipsi voluntarium?  
Erumpat, erumpat, ex me vox illa in Christianos, si mo-  
dò hoc nomine dignos, aliquando libera, quòd sicuti  
piscatores, non vt pascant, sed vt pisciculos capiant,  
hamum escā obtegunt: sic eorum nonnulli hodie, non  
religionis, sed regionis causa inter se præliantur. Quo-  
rum successus quī sit bonus, malum cū fuerit institu-  
tum? & quis illi seruiat ventus, cui nullus certus fuerit  
portus nauiganti? ambitio certè, non qua verum quò  
eundum sit indagatur. Sed querelæ non amplius gra-  
tæ, quando sunt feræ; & scopulosum est nauigantibus  
mare, errando velle addiscere. Vos ego oro, obtestorq;  
principes, qui Reipub. tantò magis debetis, quantò ab  
illa plura accipitis, tantum accipitis, quantum & Deo  
Opt: Max: in illo districto iudicio grauiorem rationem  
reddituri estis; Date has offensiones patriæ: tribuite  
aliquid Reipub. iniurias & offensiones vestras mutuo  
vobis

exemplū  
de Scyluro  
nōle in anno  
1644 an dicit  
mundanses:  
Concordia  
responde  
deseruit

ms.

ms.

causam  
nōle:  
quanto  
mius  
de ea  
meritis,  
u piment  
estri:

vobis condonate. Athenienses olim, vt urbem metu liberassent, vnā omnium iniuriarum obliuionem inter se sanxerunt: Lacedæmonij in bellum profecturi, quod pactione quā ferro, illud terminare potius voluissent, non Marti, sed Veneri sacrificarunt. Et vos quid feceritis Christiani? non vrbis, sed orbis, non vestra, sed Christi causa defendenda. Ecquis Saracenis crudeliores, Scytis immaniores, vos non dixerit? Ægrotare vos causabimini, quod æger sit aduersarius, furere, quia furit inimicus. Hem, quā leues, hem quā ad ruinam quandem fatalem, & fatuitatem potius estis procliuēs & prolapsi. nā haud de salute communi cogitantium consiliorum hæc fuerit ratio aut oratio, cuius fera pœnitentia comes, morsus conscientia præmium, æterna mors est stipendium. Sed faxit Deus Opt: Max: vt ad se tandem redeant, vindictæ studium posthabeant, posteritati seruiant, priuatas similtates & inimicitias deponant, Dei & religionis hostibus cuncti occurrant. Aut si impetrari id ab illis nequit; vtinam saltem ita eueniat, vt bellorum ciuiliū auctori- bus confusis, vna illa, quam immortalem fieri par est, parens gentium, malorumque vindex, bonorum decus & gloria, sarta tecta que Respub. conseruetur.

IN MEDIIS

pietate  
r. deary.

IN MEDIIS CHRISTIANORVM  
*discidiis, Turcicæ seruitutis occurratur  
 periculis.*

SI quis artes & mollitiones probè considerauerit  
 eas, quibus terrarum orbis in populi olim Romani  
 redactus sit potestatem; næ ille Turcicas multò dissi-  
 miles iis fuisse, & nos nostraque omnia sub eorum im-  
 perium tantùm non viderit peruenisse. Etenim, quò  
 Philippus Macedoniae rex, & Persæi pater, longiùs pro-  
 spicere se gloriari consueuerat; eò tandem habitus iu-  
 rè est imprudentior, quòd tempestatem, quam ex Græ-  
 cia aduentantem videre se profitebatur, cùm maximè  
 expedierat, aut non potuerit, aut noluerit auertisse.  
 Sublatiùs enim de ipso se loqui, & pro re ac occasione  
 non respondisse dictis, argumentum fuerit vanitatis.  
 Iam namq; vt in eiusdem Persæi, illiusq; filij, perstemus  
 historia, cùm à Paulo Æmilio Persæus captus, inq; tri-  
 umpho ductus, & ipsius filius Romæ scriba effectus spe-  
 ctaretur: quid tam illi, quàm ipsius vniuersæ proge-  
 niei, calamitosiùs poterat accidisse? Vt enim clemen-  
 tiæ specie multos sibi deuinciret Roma, & seruire illi,  
 quàm imperare aliis nonnulli maluerint; tamen, cùm  
 omnibus, tum maximè probro est regibus, seruire ser-  
 uitutem. Sed ita quidem natura comparatum est, vt ne-  
 mo ferè mortalium futuræ fortis gnarus sit suæ, quo

E

magis

*Parad.*  
*2um*  
*Vt principes*  
*Christiani au-*  
*ma cõ se*  
*mota, in*  
*Turcan v-*  
*naniales*  
*ventants*

magis æterna illa cognoscatur sapientia, quam superna  
 & inferna collustrant omnia, & hominum pectoris an-  
 gustiæ, eius similem non capiunt maiestatem. Age enim  
 percurramus illam antiquitatem animo, & qui fuerit  
 Romanorum, aliorumque status regum, mentis acie  
 contemplemur. Romani quidem non secus, ac in vte-  
 ro matris partus sensim creuerunt, & in Italia potenti-  
 ores facti, extra Italiam quoque arma sua extulerunt.  
 Hi principiò cum Volscis, cum Equis, cum Samnitibus,  
 cum Hetruscis, & aliis diu multumque colluctati, & de-  
 mùm his subactis, bellum Punicum primum, Appio  
 Claudio cœci fratre duce sunt exorsi. Quæ sanè moli-  
 tio grauis atque dubia fuerat, nec populus Romanus,  
 æquè vt postea, potentiam suam cognoscebat. Arduis  
 namque rebus, spes & metus inter se colluctantur. Ve-  
 rùm habito Romæ censu, & ducentis septuaginta mil-  
 libus hominum adiuuentis, maiores spiritus sumpse-  
 runt, & Amilcarem in Hispaniis, Afros in Sicilia aggre-  
 di minimè dubitârunt. Atque ita vna ex alia belli cau-  
 sa partim quæsita, partim oblata, Ligusticum, Massi-  
 lieñ, Siculum, & alia bella gesserunt, & confecerunt.  
 Interim à Hyerone euocati rege, Carthaginem denuò  
 aggressi sunt: & cùm per centum ferè continuos annos,  
 nunc pax, nunc bellum, nunc inimiciæ, nunc indu-  
 ciæ, inter eos fuissent; non nisi tamen tertio bello Pu-  
 nico, excindere eandem potuerunt. Fit enim aliquan-  
 do, vt

do, vt Tyrannorum non priùs cognoscãtur artes, quã  
in immensum eorum excreuerint vires, quibus am-  
plius, si vel maximè quis velit, haud occurrit. Quod in  
 his iis deniq; Romanis fuit vidisse, quibus ea, quæ via-  
 liis rapuerant, si restituenda fuissent, ad gazas procul-  
 dubiò, ab illa tanta redeundum erat maiestate: sed spe-  
 cie quadam æquitatis, & moderationis singularis, sic  
 tandem imposuerunt cunctis, vt nec opinantes, & Phi-  
 lippus Macedoniæ, & Antiochus Asiæ, & Nicomedes  
 Bythinæ, & Mythridates Ponti, & Philomenes Pam-  
 phlagoniæ, reges sub eorum iugum ierint seruitutis.  
 Sic & callidissimus ipse Pœnus, vt ad Cannas victoria  
 potitus contra Romanos fuerat, ipso Maharbale teste,  
 vti ea ignorauit. & Carthagineñ Hanno verus vates ex-  
 titit; qui cùm victricia signa allata conspexisset, & num  
 Romani pacẽ ab Hannibale petiissent, interrogauisset,  
 Legatis id negantibus, bellũ, & multò adhuc atrocìus  
 metuendum esse, apertè est testatus. Quod vtinam  
 quidem penè simili cum Turcis modo, bella nobis ge-  
 rentibus tandem aliquando non eueniat: qui, siue vi-  
 cti siue non fuerint, occupant nostra semper tanquam  
 victores. Magna enim est, fuitq; continuò olim Roma-  
 ni, & nunc Turcici similitudo dominatus, præter quòd  
 illa ipsa, de qua dixi, iusti & moderati imperij specie Ro-  
 mani, à se alienare voluerint neminem, Turcæ indies fa-  
 ciant quàm plurimos. Age enim progrediamur, & vi-

deamus, num Romanorum arma, an Camilli ipsorum ducis subegerit Faliscos magis humanitas; & an Romanorum Pyrrum potentia, quàm ingenuitas vicerit Fabricij? & an denique Carthagine delenda, quàm cōtinentia sua ostendenda nō longè Scipio extiterit, potius admirandus? cūm ex aduerso in humana figura, seu quasdam beluas Ottomanos principes liceat intueri, qui orbem terrarū furore & amentia sua turpârunt, & Dei hominumq; iura immanissimè violârunt. Nam, vt vel hos tantum in multis memorem paucissimos: an Mahometis, qui Constantinopolim cepit, immanitas: Baiazetis artes: Selymi parricidiū: Solimani ambitio: & Selymi alterius non nobilitata est fraudatio? sic, vt non paucos eosdemque potentes populos, qui rebus temporibusque dubiis nouis forsitan studuissent imperiis, iurè & meritò à se abalienauerint. Omnes enim propemodum secundis rebus insolescimus, & seruitutis mentione facta (vt plerunque fit) trepidamus; cūm interim videre sit, quantos in Christianorum regum familiis profectus laus effecerit æquitatis; & Austriacam familiam, quæ eodem ferè, quo & Ottomana orta est tempore, multò adhuc latius imperantem, ipsi citra omnem controuersiam aspiciamus; quæ religionem Catholicā, quam Turcæ violant, in orientis & obeuntis solis extrema propagauit. Sed hæc de illis dicta sufficiant. Turcicarum autem, & Romanorum olim artium

tium similitudinem, vt cœpimus persequamur. Nam magna est certè, siue id videas, quòd vt Romani, sic & Turci ipsi à modicis principiis exorti sunt, & fuerunt; siue redigendis in prouincias indigenitalium ipsorum opera regnis, astum vtrorumq; consideres; siue alendis discordiis in vicinis, studium & diligentiam intueare. Quod vt ad eò exemplis etiam doceamus, antiquitatis memoriam cum posteriorum temporum gestis paulò altiùs repetemus. Ac primùm quæro: an sicuti olim Romanis per Campanos in Samnum, per Mamertes in Hetruriam, per Siculos in Siciliam, per Athenienses in Græciam, per Saguntinos in Hispaniam, per Massiliens in Galliam; sic rursus per Canthagufenos in Pruziam, per Palæologos in Thraciam, per Despotas in Rasciam & Bulgariam, per regem Ioannem Hungarum, in Hungariam Turcis aditus non est patefactus? Quantum verò ad discordias vicinorum, quibus creuerunt fouendas, & semper debilioribus cōtra potentiores adiuuandis spectat: an quemadmodum Romani ex ciuitatibus sociis seruos sibi fecerunt, Turcæ, ferundi auxiliij specie, Hungariam non occupârunt? & Ioanni Sepusio contra Ferdinandum regi, vtpotè debiliori, contra potentiorum adhæserunt? & callidè id illi quidem. Quidam enim misericordia ductos id facere existimant; at illi interim sua non aliena curant. Nos nihil quod in rem nostram esset consideramus. Illi rerum & tempo-

serundi  
miserendi

rum, personarum & momenta, obseruant, & excutiunt omnia etiam minutatim. Baiazette Turca, à Tamerlane capto, tota Ottomanorum familia stirpitus eradicari potuisset. Hoc Christiani curarunt, scilicet. Amurates ex Asia in Europam contra Vladislaum Hungariae & Poloniae regem, mare transiecturus, nauium non fatis habebat; at vno aureo numo à singulis capitibus numerato, nauigijs Genuensium transportatus, ad Varnam regi occurrit, eundemque, quòd nisi adiutus non fecisset, ingenti multitudine circumdatum interfecit. Baiazettis, Turcici Cæsaris germanus frater Zizimus, petitum in eum auxilia Romam venit, veneno sublatu est. Mustapha contra Solimanum patrem arma cepit, & quorundam nostrorum principum auxilia postulauit, & hoc neglectum. Aladulus, Zophi, & alij Ottomanorum hostes, sua nobiscum contra Turcam arma coniungere voluerunt, & hi contempti. Quid multa? nos in Turcas rei benegerendæ occasionibus obseruandis fuimus semper remissi; illi contra intentissimi: nos inter nos discordes; illi vnanimes: nos non modò animis, verumetiam castris diuisi; illi vtroque in nos parati atque conglobati. Non tam citò tumultus rusticorum in Germania commotus, quàm Solimanus Turca ad Viennæ moenia est visus: non tam citò Galliarum rex Franciscus, Carolus Quintus Cæsarem, & hic illi infestauit; quàm Turca iteratis expeditionibus Hungariam

radicitus

X  
 in  
 Brinzele  
 secundo.

riam occupauit; vt multò adhuc plura & maiora taceantur, quorum ob tot funera ciuium lacerat & cruentat nos recordatio; & tantùm nihilminus, quàm aut mala aut malorum disquirimus remedia, & odio ac inimicitiis inter nos obcœcati, in alto domesticorum bellorum & tumultuum fluctuamus. Rex Hispaniarum Catholicus, suorum rebellione, Italia diuisione, Germania (si Deo placet) religione, Belgium in principem suum seditione, Anglia æmulatione, Gallia bellis ciuilibus, quò minùs in Turcam eat, præpeditur. Ea verò omnium ferè Christianorù regum inter se est confisio; vt barbaros, natura & professione hostes, quàm Christianorù, vel aliquos milites volùtate hospites, mallent apud se hospitio excepisse. Placet nō nemini Polyphemii beneficium, qui, cùm Vlyssis socios deuorare debuisset, ipsum postremò deuoraturum se beneuolentiæ ergò est pollicitus, perinde, ac si mors in beneficiis numeretur: sed vereor ne isti hoc & eiusmodi beneficio, id quod sequuntur, assequantur. Mihi quidè cum Barbaris Christianorù pax, pactio videtur imminentis magis seruitutis; quam si non timent aduentantem, quifine maximo doloris sensu præsentem sociorum ruinã intueantur? O me miserum, si apud eos diceñ nihil profecero! sed adhuc miseriores illos, qui hîc & alibi huius impietatis tantæ pœnas tandè exoluent. Equidem pro se quenq; maxime bonum, hæc similiaque verba memin

mini vsurpantē, quòd mors, naturę debita patrię potius  
 reddenda, quàm necessitati sit referuanda. Quid igitur  
 armis in Turcam expedieñ facimus? Quid tergiuer-  
 samur? An quòd ineptē egerint medici, serò tabida co-  
 gnosceñ febrī; Turcicis dolis tempestiuē vt par est, affe-  
 quendis, circumscribi nos patiemur? Enimuerò igno-  
 ramus, si illa febris omnium pateret obtutui, ægrum à  
 morte faciliè posse defendi? Sed illud est mali, quod co-  
 gnoscitur serò; & ita vel doctissimo illudit medico. Quo  
 eodem modo & nos decipimur periculis, quæ nos à  
 Turca manent, maturè dispiciendis: quæ si vellemus à  
 ceruicibus nostris cuncti depellere, certè possemus: sed  
illucescit dies, quo si vel maximè cupiemus, nihil quic-  
quam agendo amplius proficiemus. Omne quidem  
 venit tempus, & morbus, cui principio non obstiteris,  
 fit incurabilis & funestus. Interim, qui salutem socio-  
 rum negligit, prodit suam: & sicuti homini, quem pha-  
 gedœna conficit, vsu venit, dum membrum relinquit  
 vnum, saluum corpus minimè sperauerit vniuersum;  
 sic principum nō nemo, qui dum alij à Turca cadunt,  
 ociosè spectauerit, malo suo experietur, quantum ex-  
 pediebat hostem communem debellando non ope-  
 riri temporis tarditatem. Qui enim ancipiti conten-  
 tione & studio distractus est, hodie distrahetur, & po-  
 stridie; & mutua animorum & consiliorum dissimi-  
 litudo, magnus est obex exequeñ. quod statutum est  
 celerita-

celeritatis. Ferunt diuerso pilo canes, gregatim aliquādo inuadere lupos voluisse; at hos, simul atque canes vidissent, id contempsisse, quòd varius & multiplex color, discordiam & imbecillitatem canum arguere videbatur. Nos non canes, sed ratione præditos homines; non pilo, sed animo; nō studiis, sed castris diuisos, Turca nō aspernetur? Et erit cuiquā dubium Christianas gentes atque nationes omnes, deniq; reges tetrarchas, & dynastas, quantum quidem in illis est positum, debere providere, ne barbari eorum coniugibus, liberis, fortunisque potiantur. Nec verò vlla est, aut vnquam erit, tam iusta in suos sæuieñ. causa, quæ tandem postremò omnes, sub Turcicæ iugum mancipet seruitutis. Est enim Turcicum iugum adeò formidabile, & horrendū; vt nec Ægyptiaca seruitus, neque Babylonicum exilium, neq; Assyriorum vincula, neq; Romanorum dominatus, cum eo possit conferri. Quo magis aduigilandū est, ne modicorum tædeat poeniteatq; in Turcam nos sumptuum, & illud bellum putemus iustum, quod est necessarium; cū indignum sit barbaris eos subesse, qui soliti sunt aliis præesse, & qui abundant copiis, & ære, atque libertate, premi Turcica barbarie, & seruitute: nos enim tyrannidi, alios Deus destinauit dignitati. Et quis nescit, modicam pro se quenque Christianum facultatum iacturam facturū, si in Turcici belli sumptus à singulis annuorum prouentuum centenis,

Bessa  
 iohis  
 Carri  
 nabis  
 Swi si  
 nile.

vel vnum tantum aureum numum numerauerit? quod  
 quomodo fieri debeat, pro nostra tenui & infirma par-  
 te planum facere contendemus. Ac primum quidem,  
 à regina prouinciarum Italia, & in hac à Pont: Max:  
 imperio exorsi; denuò etiam ad alia Christiana regna  
 & prouincias veniemus. Neminem præterit Pontificis  
 Max: ditiones Cisalpina Gallia, Umbria Pycæno exar-  
 chatu Raueneñ Latioq; ipso contineri. In quibus non  
 modò incredibile, sed neque difficile peruestigatu fue-  
 rit, quot quæq; prouincia, vrbes, oppida, & rura con-  
 tineat: quod ad eò necessariò etiam inquirendù esse,  
 ambigit nemo: multò enim laboriosior est negligentia,  
 quàm diligentia in priuata domo, & Repub. gubernan-  
 da. Quod autem de Pontificis Max: ditionibus, hoc  
 non modò de aliis Italiae prouinciis, verum & de om-  
 nibus Christianis regnis dictum & intellectum volo;  
 quibus in communiõne temporum, vel semper aliquid  
 laudabile fuerit contulisse. Nullum enim nisi per se pu-  
 tidum, & sanguine, hoc est, dilectione Reipub: carens  
 membrum, à communiõne totius corporis se segrega-  
 uerit. Semel autem oppidis & ruribus in numero ha-  
 bitis, omnium & singulorum ciuium prouentus annu-  
 os non difficilè erit æstimare. A quorum centenis sin-  
 gulis; si vel tantum aureus numus, in hunc belli Tur-  
 cicici vsum, numeraretur vnus, an per totum Christia-  
 norum orbem grandis non coaceruaretur pecunia?

cuius

cuius solutio certa, vel sub sponforia cautione, vel pignoribus datis, vel ciuium facultatibus fieret obligatis. Loca interim seruandis pecuniis munita & opportuna, & diuites assignentur earum exactores, qui ad eò occurrente necessitate de suo ipsi eius contributionis solutionem ante tempus possent præstare. Qua exolunda non annonæ caritatis, non nouorum aliquorum belli motuum, non aliarum rerum aut difficultatum valere deberet excusatio: sed statis temporibus, ex consilio belli ducum, veluti cautoribus periculi, vbi magis necesse esset militibus, in stipendium conducendis erogaretur. Nam si non integrè ad infringendos, ad retardandos certè eius insidiosi hostis conatus multum valebit. Etsi ad eò nihil aliud inde commodi esset, ipsa iuuentutis exercitatio domi, antequam bellum gerendum esset foris, quid in se momenti habeat, quis ignorat? Legendi namque & exercitandi semper & vbique sunt iuuenes, vt ætatem pugnam nòdum venisse, quàm præteriisse, potius causentur; & minori haud dubio sumptu, atq; periculo erudiuntur sui, quàm in viscera patriæ alienigenæ & externi, qui nullo eorum regionum & hominum, inter quos versantur amore, imò, odio & maleuolentia potius ducuntur, & prædam ac spolia quærunt, quàm de hoste magis victoriam, qua etiam non expectata aliquando diffugiunt, & incertis sedibus huc illucq; vagantur. Firma autem militia in regnis

est opus, quæ & in continuo, à quo exercitus dicti, ver-  
setur exercitio: non nisi enim militibus milites licuit  
peruicisse. Et quid olim Romanorum aduersus multi-  
tudinem Gallorum paucitas? quid aduersus Germa-  
norum proceritatem breuitas? quid contra Afrorum  
dolos ingenuitas? & quid deniq; Græcorum artes va-  
luisset simplicitas, si tyronem solertem non elegissent,  
quæ quotidiano vsu & disciplina armis tractandis ido-  
neum reddiderunt, campestri meditatione pernosce-  
re omnia fecerunt, desidem & dissolutum castigârunt?  
Non enim celerius modò, sed & perfectius ea discun-  
tur, quæ materno (vt ita dicam) cum lacte à teneris im-  
bibuntur. Nemo deniq; eorum tantoperè timet mor-  
tem, qui non peræquè ac alij degustauerit voluptatem.  
Satis quippè persuasum esse debet vsu & scientiã bel-  
lañ ingenerare hominibus audaciam, & omni loco at-  
que tempore, præstare faciliùs victoriam, ad quam pa-  
randam docta paucitas, quàm indocta ad prædã prom-  
ptior est multitudo, quæ non neminem de hoste, iam  
triumphantem rursus triumpho spoliauit. Hoc autem  
modo & ratione exercitata milicia, per omnia Christi-  
ana regna & prouincias stabilita, non modò ordinibus,  
sed & hominibus cunctis, non tantùm tolerabilis, sed  
adeò etiam leuis illa esset contributio; in cuius socia-  
tem, non modò ij qui magis periculo sunt expositi, sed  
adeò etiam remotiores à Turcis populi, haud ita inui-  
ti, pro-

M  
C  
M

ti, proculdubio ingrederentur. Agitur enim non nostra, sed Christi Opt: Max: causa. Aguntur fortunæ Christianorum omnium, quæ publica gentium nationumque vicinarum quiete & tranquillitate continentur. Non enim bellum tantum Turcicum, sed belli ipse metus inurit Reipub: calamitatem. Fateor non per æquè omnia Europæ regna rabiei Turcicæ esse exposita, nec pariter omnibus gentibus eorum arma subito formidant. Sed nihilominus tamen prouidendum est, ne his, & illis (quod plerunque dissensione & incuria principum accidit) subiugatis successu tēporis & reliqui à Turca immanissimè vincantur. Habet Italia, præsertim verò in regno Neapolitano, sinus, per quos olim Pyrrhus Epyrotarum rex mare commodè trajiciebat: habet Forum Iulij, in quod equitatus Turcicus, ab hinc centum annis, sæpiùs incurrebat: habet Polonia Ruffiam, Podoliam, atque Volhiniam, è quibus hostis ferox & barbarus, à tot annorum centenis prædas agebat. His oris & terris, prouinciis, earum munitionibus, ferre opè maturè expedit, quod ad eò, & à Ponti: Max: quibus lyncei erant oculi, Christiana pietate commotis, penè centum ante annos videmus factitatum; & Cameneciam Podoliæ arcem, (vt alia eorum munificentia exempla taceam) contra barbaros muniuisse. Multum namque in regnis, non tam propugnaculis, quàm hominum fortibus pectoribus vallatis est positum, quibus

bus (quod absit) sublatis, stationes illæ, in quibus pro Christianis alijs perpetuas agunt excubias, desererentur, in quibus vel fama ipsa nobilitatis militaris, ne aperto bello eas petant Turcas deterret: sed & arces vrbesque opportunis in locis extructæ, & cum natura tû arte munitæ, admodum sunt necessaria. Quas quò minus & Polonia instar aliorum regnorum habeat, non vi deo: materia namque sulphuris & nitri, ex quibus puluis tormentarius conficitur, tanta quanta vix credi potest in ea reperitur. Quin & intra exiguum tempus, in qualibet ferè eius regni prouincia, talis erigi potest munitio, quali ne à cuniculis, neque ab circumuicinis collibus, neque ab aquarum deriuatione, magnoperè esset timendum. Iam verò cùm bellandum cum iis est, qui armis & equis Turcicis vtuntur similibus, nemini est dubium, quòd incipiti contentione, & haud dubia quadam de exitu belli formidine hostes magis distrahuntur. Pugnam enim ineunt alacriùs, & vbi rursus necessitas vrserit, recipiunt se ex ea celeriùs, ad instaurandam semper parati: grauiores interim armaturæ equites, facilius in mensa est locasse, quàm à mensa abduxisse, vt taceam quasdam gentes & nationes, magis ad potandû, quàm ad pugnandum in castris versari, & nescio què inter Noricum & Augustã commodissimû Germanis cum Turcis inter frequentes cauponas fore prælium dictitasse, ne cum mutatione regionis, pri-  
stinæ

stinæ fortitudinis laude spoliati, nec opinantes languescant. Plures enim eorum exercitus, qui videbantur sibi inuicti, partim esurie, partim inclementia cæli vexati, à Turcis sunt superati. Quod, ne ad Essecú Germanis accidisset, Ioannes Tarnouius, magnus in Polonia dux, ne longè ab Danubio abduci se paterentur, iustrato vicinæ apud Ferdinandum, tum Romanorum regem, eorum exercitu, præstabat consilij se auctore. Sed nos præter famem, & alia quoque incommoda, in exercitibus contra Turcas euitanda, & ad pios Christianorum illis profligandis conatus adiuuandos, quantum quidem nostra tenuitas tulerit, diceñ progrediamur. In maxima enim tempestate vel nauarchos ipsos moment etiam aliquando vectores. Primùm igitur & præcipuum illud esto, vt robur & firmitas regnorum omnium, equitatus & peditatus, quàm optimus habeatur: cuius deligeñ. non cuiuis demandanda prouincia est, cum in tot summis in Romana Repub: viris, vnus ille Sertorius industriam suam vix probauerit. Deinde considerandum & illud venit, quòd nõ semper maior, sed aliquando etiam minor, hostem superauerit equitatus: qui quoniam partim hastatis, partim sclopetariis hac ætate constat, videndum, quibus hastati primùm, demùm opus habeat & peditatus. Hastati quidem his potissimùm tribus, vt velociter & cum impetu hostem petant; vt solum durum & planum, vt equum optimũ, addo,

*Laus  
Tarnouii.*

*serri  
suis  
reliant.*

addo, & quartum, vt sessorem equus habeat exercitatum. Vt enim magna stipendia miles acceperit, sine vsu & tractatione armorum, semper tyro & ineptus censetur. Accedit, vt hastati, non nisi per cuneos triginta circiter equitum disponantur: propterea quòd primi, & secundi hastati ordines, hostem ferire possunt, reliqui non possunt. & fit non rarò, vt vel integras ipsas hastas, quæ nullo eis sunt vsui, intermedij abijciant equites, & recurrant ad enses, quorum exercitum, robur, & scientia præliandi, quàm ipsa magis commendauerit magnitudo. Multa namque incondita hominum millia, in prælio plus nos retardant, quàm adiuuant, vel nonnunquam. Iam verò equites, qui vocantur sclopetarij, multò adhuc in pugnis præsertim statarijs magis esse necessarios, quis ignorat? Quos videlicet ipsos ad ferendum hostem par est progredi lente, neq; citare cursum, antequam fugientem viderint inimicū. Pro quibus omne solum habetur bonum, ijdemq; equum, secus quam hastati, non admodū requirunt generosum: cunei etiam ipforum, non in paucorum vt alij redigenti sunt numerum; sed potiùs exercitum armis efficiant, vndequaq; tectum ac firmissimè inter se conglobatū. Atque hi quidem equites pedetentim progredientes, omni loco & tempore strenuè rem gerunt, & turbati licet, pugnam restituunt, & quod hastati necessariò faciunt, diuersis telis non vtuntur. Nihil enim in acie pu-  
gnan-

gnantes magis moratur, quàm cum nunc ad hæc, nunc ad illa arma tractanda præter opinionem est veniendū. Quod hastatos equites facere necesse est, & confractis hastis, arripere arma generis non eiusdem; quibus, qui benè armati fuerint, resistunt, & hastatorum conatus tandem eludunt: sclopetarij verò iisdem semper vtuntur telis, & illa grauitas, quæ tegit ipsos armorum, præter eum quem incutit metum, non difficilè etiam retundit impetum hostium obuiorum. Nihil enim inuitat ad prædam hostem, quàm ornatus exercitus magis; & nihil absterret, quàm benè armatus & animatus. Nudus quippè Afer, & excoctus sole Arabs, & Ægyptius arundineus vix commodè opponitur Europeis ijs, quorum pectus chalybæus tegit torax, & desiderium accendit maiorum pristinae dignitatis. Quòd si hastatos si non homines, equos duntaxat ferire posse dixeris: an rursus inficias eas, multos Cathaphractos equites, non nisi equorum frontem, ac ne quidem hanc ostendere denudatam. Fieri tamen etiam poterit, vt totidem hastati peruincant sclopetarios Cataphractos; sed initio conflictus id facilius est obtentu. Impetus etenim hastatorum fit plerumq; magnus; sed haud scio, si in pugna primo corresponderit conatus eius extremus: non enim peræquè armati hastis, quàm inermes sclopetis offenduntur. Illud porrò vnum, si negem, amens sum, quòd hastati in exiguos cuneos citò & facilè suum

G

equita-

equitatum diducere, & si non à fronte, à lateribus cer-  
 tè hostem commodè possunt ferire. Hoc idem ducum  
 qui sclopetarios in acie locant, præstiterit nemo, nisi  
 fortè in eodem exercitu etiam copias habuerit hasta-  
 torum. Quod hodie in Galliis & Belgio, in vsum & cõ-  
 suetudinem cœptum est poni: ac certissimum sit, sem-  
 perque fuerit, victoriam quidem hastatis, sed tantum  
 contra hastatos, rariùs autè contra Cataphraetos sclo-  
 petarios obtigisse. Ad tempora verò præsen, & vrgen-  
 tem bellan necessitatem, sunt accommodanda omnia;  
 vt quantò victoriæ de Turcis relatæ fructus esset vberi-  
 or, tantò maiori contentione, ad illius obtinendum  
 accendamus principatum: non morbis namq; medi-  
 cinæ, sed hæ illis attemperantur. Nam dubium quidem  
 fuerit nemini, sudorem Anglicum, aut morbum, quem  
 Gallicum vocant (vt hos tantum duos in multis proferã)  
 veteribus curationibus penè insanabilem principio ex-  
 titisse; quem posteriores medici nouis remediis adin-  
 uentis, non modò incredibilem, sed aded etiam cura-  
 tu facilem effecerunt. Sed hæc de equitatu. Quantum  
 autem peditatum spectauerit, ex agris quàm ex vrbi-  
 bus, in quibus maiores deliciae, ex asperis & montanis,  
 quàm ex planis & ex cultis locis potius eligatur. Quod  
 ex comitatus Tyroleñ in Germania peditatu, qui ne-  
 scio, si aliis multis non præstiterit, temporibus Caroli  
 Quinti Cæsaris, qui vel hoc ipso nomine Ferdinando fra-  
 tri in-

tri inuitus eum ex partitione restituerat, licuit cognouisse. Vestiat idem & alatur benè, inquã, continuo armorum vsu, disciplina & exercitio versetur; vel nobilibus etiam ipsis, merere inter agricolas stipendia, ad eò turpè & indecorum non videatur. Qua vna re pedestris Germanica militia, quæ sub Carolo Quinto magni nominis fuerat, vilescere sensim cœpit, & aliarum gentium in magnam existimationem venit. Non est autem dubitandum, regna non tam equitatu, quàm vel aliquando firmari & defendi peditatu: qui omni loco, omni tempore, omni denique cum hoste conflictui est idoneus, & cõtra Turcicas mollitiones, ybiq; continuo necessariò alendus, & exercendus. Quid enim frustra obnitimur? quid tam diu? quid cum metu & horrore semper, quicquid ab illo hoste increpuerit circumspicimus? quid vanis cum Turca pacificationibus nos decipimus? quid in media flamma & incendio otium & quietem cogitamus? Audendo & agendo res Romana creuit: nostra verò tergiuersã tantum non interit, dum hostem perfidum & insidiosum coniunctim aperte omnes bello non petimus, dum à perfido fidem, à prophano pietatem, à sacrilego vllam vel minimam iurisiurandi religionem sartam tectamq; fore speramus & expectamus. Debellandum cum eo est, qui nisi debellatis (quod absit) nobis non quiescet. Non illius potentia fuerit, quæ prorsus esset inuincibilis. Certum

illud est, quod aliquando Abrahamus Strafius Polonus,  
 ad Effecum captus, gratiosus Solimani & Selymi Tur-  
 ciorum principum aulicus, multis legationibus infi-  
 gnis, dicere solitus fuerat: Turcicam potentiam magno  
cuidam vitreo globo videri persimilem, quod multos  
 in admirationem sui raperet, sed nihilominus tamē par-  
 uo negotio etiam frangeretur. Magna pars Turcici ex-  
 ercitus, milite constat tumultuario & collecticio, vt  
 quod de Germanico peditatu, quod purgamenta vr-  
 bium, hoc de Turcico Asiatico equitatu, quod fex &  
 excrementa latebrarum Asiæ sit, verè & non ineptè di-  
 ceretur. Nulla iurisiurandi religione eius miles adactus  
 est, nulla mercede conductus, mente leuissima, corpo-  
 re laboris impatientissimo, animo à virtute est alienis-  
 simo, prædam magis quàm victoriam secutus, rastris  
quàm castris potius addicendus. Nam non expectata  
 missione, fugam protinus arripit, & vix aliquando in  
 bello operam vtilem nauat, ordinem nullum in acie  
 seruat, disciplinam odit, æquitatem nescit, vt latro &  
 ficcarius, quàm miles aut bellator veriùs diceretur. Cō-  
 tra quem, si firma aliqua & exercitata seruata fuisset  
 hætenus militia; non esset dubitandum facilius vinci,  
 quàm vincere eum potuisse. Quod vt tandem aliquan-  
 do fiat, cum serò quàm nunquam sapere, in omni me-  
 moria præstiterit, ad has & similes contributionum ex-  
 actiones necessariò est veniendum. Quæ adeò si non  
 suffice-

\*  
 Vnde  
 i. g. de m.  
 u. b. v.  
 i. g. p. h.  
 Reip. p. h.  
 f. o. l. ~~...~~  
 176.  
 v. m. b. r. cadens.

Nemo  
vide!

sufficerent, ipse numerus & ratio earum augeatur, & veterum exempla, conquirenda in vsus bellicos pecunia imitemur. Augustus olim Cæsar, cùm milite indigeret, seruos manu mittebat. M. Antonius, ne tributis crebrò subiectis imperandis odiosus fieret, suppellectilè suam <sup>uxoris</sup> domesticã potius diuendebat, & milites in stipediũ conducebat. Vespasianus, quæstores, vel minimi delicti reos graui ære mulctabat, & mulctatos iisdem muneribus, rursus præficiēbat; vt semper quos emungeret pecunia perpetuò habuisset. Vnde etiam præfectis, veluti aliqua sponsia, vt est dictus. Quod & posterioribus temporibus Vitoldum, magnum Ducem Lituaniæ, & bellatorem, memorant factitasse. Boni enim lucri bonus est odor, aiebat ille, modò id fiat cum ratione, & æquitate. Iam verò, qui hodie idem aiunt, quid non fieret simile? vt nimirum seruorum illorum, qui apud Romanos manu mittebantur, loco capitis damnati, ad onus fossorũ, vel alios aliquos in vrbibus aut exercitiis vsus destinarentur; pro vendita antiquitũ suorum suppellectili, sumptus cupiditatũ minuerentur, & in bellicos vsus potiũ conferrentur; pro præfectis mulctandis omnes generatim pecuniariæ mulctæ contra barbaros conuerterentur. Qui enim pacem cupit, bellum meditetur, arma expediat, militem alat, castrenũ disciplinam iuuentutem imbuat, necesse est: qui prosperos belli exitus sortiri desiderat, nõ casu sed arte,

quando hostis cupit, sed quando illi commodum fuerit prælietur. Vix tam aliquis reperietur excors, qui prouocare eum audeat, quem superiorem fore si manû conferuerint nō ignorat. Postremò cum tribus potissimum rebus, viris, pecuniis, & commeatu in bello sit opus, pro se quisq; princeps operam dabit, vt non tam ij qui ambiunt, quàm ij qui id muneris refugiunt exercitibus præficientur. Multi quippè non tam virtute sua, quàm aliena commendantur inuidia; bellis autem administrandis non spem, sed rem expedierit spectasse, cùm errores bellici morte cōstent, aut ignominia sempiterna. Ducibus porrò bellorum eligendis aliquid generi, sed omnia tribuen sunt virtuti. Sicuti enim non ex genere, sed ex arte & scientia gubernandi nauis aliquem; ita & exercitui ducem iure præfecerit. Nemo enim libenter ei paruerit, quem scit vsu & intelligentia bellandi se esse inferiorem. A quo demum ob prudentiæ & fortitudinis opinionem, auctoritate prius parta, si diffluxerit luxuria, miles, liberè coërceatur; si præfectus assueuerit auaritiæ, amoueatur; si exercitus laboris & vigiliarum fuerit impatiens, exerceatur. Non enim nisi fabricando fabri, nec nisi multa perpetuando oneribus bellicis supportandis, milites efficiuntur non inepti. Quibus pecunia & commeatus nunquam desit, nec tum primùm, cùm necessitas ingruerit, sed multò etiam ante disquiratur, disquisitus moderatè diuidatur, diuisus custodiatur. Nam turpè

illud est, quòd magni nominis Lazarus Suendus crebris vsurpabat sermonibus, dolendum esse, quòd quadraginta Germanorum millibus in quadrimestre sup-  
peditare comeatũ abundè posse principum videret w  
neminem. Quo stante, quomodo (pace ipsorum sit dictum) Turcarum tyranno, eorum & omnium Christianorũ hereditario hosti, tam potenti, vigilantissimo, industrio, sobrio, Germani, & qui eorum similes esse volent, resistere possint, viderint. sed quòd cœpimus persequamur. Sciscēdis igitur in vsus bellicos tributis, augendis vectigalibus, imperandis populo pecuniis, ciuiliū facultatum, regionum, vrbium, obseruetur discrimen. Nam quorsum imperandis pecuniis, nimirum (quod aiunt) lambendo eluere sanguinem, aut agrorum iugera numerando, non expendere ipsorum bonitatem? quã multi & quã magni reperiuntur agri, qui non tam cultione, quã natura sunt præstantissimi, & quã rursus infiniti, quantumuis licet accuratiùs subigantur, aliis nunquam responderint? Quid? quã multæ regiones mellificæ, lignis, armentis, pastionibus sunt refertæ, quæ & iugerum amplitudine, & piscosis fluminibus, & commoditate portuum, & varietate negotiationum, multis aliis antecellunt? Ab his tu par tributum, æqua lance, rationes exposcas vectigalium? spatia terræ, proventus frugum, iugera agrorum, commoditatem non inspicias portuum, & fertilitatem, vel secus quarumlibet

bet regionum? Age, an non præstiterit, multò etiam antè, quàm ad hanc dimensionem agrorum veniatur, certo numero, & præstanti virtute ac prudentia, eligere aliquos, qui omnes omnium prouentus exactè peruestigarent; & tam eos, qui ex reditu pecuniario, quàm qui ex ruribus & prædiis fructus percipiuntur, minutatim conscriberent, conscriptos in tabulas referrent, relatos in publicis Conuentibus proponerent, propositos vniuersi approbarent? Tum enim demùm rectiùs feruntur, & semel latæ vim suam obtinuerint leges, cùm ad eas bonorum iudicia, & non modò ordinum, sed hominum omnium accesserint voluntates: à quo nimirum censu, nemo vnquam quouis tempore, aut occasione liber: nemo exemptus fieret: nemo excusatione inscientiæ: nemo caritate annonæ: nemo publico obeundo munere, aut legatione se exciperet: nemo se ab aliis quouis modo, aut colore quæsito, segregaret. Par enim est eos, qui in Repub: domiciliis sunt communibus, communium esse onerum & contributionũ. Iam hoc modo, & ratione tributa pendendi & exigendi stabilita, tam ab eo, qui prouentus æstimaret, quàm etiam ab illo, qui æstimatis soluere aliquid deberet, difficillimè Respub: fraudaretur. Quòd si fieret, in vtrumq; illorum statueretur exemplum, & pars mulctæ vna, ærario cederet publico, altera quidè quadruplato-ri. Nauanda enim opera, sua quisq; mercede faciliùs inuitatur.

uitatur. Atq; ita demùm à centenis, quod antè dictum est, aureorum singulis, vel vnum tantùm aureum nummum fac numerari. Quid? An per totum Christianum orbem, non grandis coaceruaretur pecunia? quæ diligenter à quæstoribus minimè egentibus exacta, bona bonorum fide custodita, prudentium belli Ducum consilio scienter distributa, sacræ cuiusdam contra barbaros militiæ, officinã efficeret: qua contra ipsorũ vim atque rabiem, coniuges, liberi, fortunæ, domicilia, & libertas nostra, facta tectaq; esset. Etenim, quòd quidam generales, quas vocant expeditiones bellicas, contra hostes, maioris momenti fore existimant, vehementer errant; vt etiam illud, quod multi autumant concedatur, solam Poloniam (vt alia regna taceam) tantummodo ex ipsis villis, rura, & oppida, & magnum Ducatum Lituaniæ excipiendo, vndecies peditũ & aliquot equitum centena millia habituram. Quod vt adeò ita esset, quanquam maior semper in cathalogo, quàm in acie numerus militum reperitur; quid rursus hæ & similes expeditiones incommodi habeant, videamus. Non plus certè iis externis hostibus quàm suis calamitatum inuritur conciuibus; vt taceam, quot & quanti in iis excitentur motus, & domesticæ seditiones. Nihil enim armata multitudo temerarium & insolens est magis; si aut arte aliqua diuisa, aut aperta vi oppressa non fuerit: cuius maleficia impunitasq; scelerum interitu sæ-

H

pè in-

Con expeditiohem  
totius Re-  
gni.  
X

X ita copis a Selymo  
reparat. 2111 10 -  
sunt in Selymo 433.

pè omniū diuinitus caſtigatur. Verūm vt expeditiones etiam iſtæ, quod rariffimè accidit, ſint omnium pacatiſſimæ, quàm ægrè & non ſine periculo decernantur, quis non intelligit? Nam ſi milites conduceñ. & imperandis pecuniis Comitia habenda ſunt; quid bello & expeditione totius regni decernenda? Quæ & ipſæ pecuniæ, nec ita exigi ſolent, vt debent; neque ab omnibus æquè penduntur, neq; ad eos ſemper uſus, ad quos conceſſæ fuerint, conuertuntur. Multorum enim manus, quæ contributionum pecunias tractant, infidæ custodes publicæ ſunt utilitatis. Hoc autem quo dictū eſt modo, omnia ſuo fierent tempore, ordine, & ratione, locis certis, in quibus comæatus paruo emi poſſet, habitis. Quo militi diſtributo, eadem illa aut paulò minor pecunia, quæ in ſtipendia militum erogari ſolet, mercibus & comæatu, pro iuſto aliquo precio exercitui vendito, vt alibi etiam gentium eſt moris, rurfus recuperaretur. Minor interim tot tantifque Comitiiſ, contributionum cauſa habeñ, iactura eſſet temporis, minor valetudinis, minor fortunarū & facultatis. Iam nec precarij reges quidam à ſubiectis pecuniis petendis, vt plerumque fit, dicerentur; non turpes artes in Conuentibus regni publicis in oculis Legatorum, & aliarum externarum gentium, exercerentur; non honores, non dignitates, non præſecturæ venderentur, quas non quando reges, atq; principes, præter meritū  
alicui

alicui largiuntur, etiam homines nihili, petaces esse & sibi molestiam exhibere faciunt, & Reipub: ipsius detrahunt dignitati. Non enim honores hominibus, sed hi honoribus sunt cōquirendi. Milites postremò semel in stipendium conducti, & ex tali ærario Reipub: solutionis suæ certi, præfectis suis parerent alacrius; suo contenti essent stipendio; non querelæ, non imprecationes eorum audirentur, cum militant precario: ut enim carbones, sic & milites aut adurunt, aut turpant nos vel nonnunquam; nec aliquid est infelicius, quàm nunc cum hoc, nunc cum illo milite, nihil minus quàm cum veterano in castris excubare; qui latè longèque pulsata tympana, parua lucelli spe, vix lorica aut clypeum habens, tandem militatum eat, & postridie ad ius illud Lacedæmoniorum nigrum aufugiat: quo hostis spiritu & potentia augetur; nos autè nostraq; omnia deflorescunt. Quod haud equidè si fieret scio, cum omnia, maximè autem bella, suo ordine & tempore certo, ac stabili consilio maturè præpararètur. Nefas enim est bellis ingruentibus, cum sumptus in ea conquiri debent, nunc in hanc, nunc in illam partem animo fluctuare. Pacatius dum est tempus, magister sit prouidus auertendæ, quæ impendet, tempestatis: nam quod quidam bello Turcico, contra nos ex oriente parañ. belli neruo, pecuniam multam excogitari, & impetrari autumant posse, falluntur haud dubiè. In bello rumores

vulgi, & sapientum sententiæ, vix non æquè audiun-  
 tur: & licet multi consilia præstent, periculum certe su-  
 munt quàm paucissimi: & nihil tum iuuat, cum tem-  
 pus præterierit voluisse, aut lamentatio muliebris. Pul-  
 chre alicubi Cato, Senatam olim suum verbis iis est al-  
 locutus: Deo, inquit, immortalis confiditis, quòd hanc  
 Rempub: conseruauerit. Non votis, neque muliebribus  
 suppliciis Dei auxilia parantur: vigilando, agendo,  
 benè consulendo, prosperè omnia cedunt: vbi foci-  
 dia te, atq; ignauia tradideris, ne quicquam Deum im-  
 plores, iratum infestumque habebis. proinde non est,  
 quòd quisquam inerti confidat otio, sed potius armorū  
 incumbat negotio; cum ad eum modum corrogata  
 pecunia, non solùm miles in stipendium conduci, sed  
 arces adeò nouæ erigi, & veteres restaurari posse vide-  
 antur; & denique in immensum profeminatæ familiæ,  
 viatico ex publico suppeditato, vltèrius progredi ad do-  
 micilia in hostico figenda, & nos nostraq; perpetuo me-  
 tu, & periculo liberanda. Quòd qui fortè non intelli-  
 git, ac ne intelligere quidem cupit, suo malo discit; &  
 calamitate semel accepta, etiam tuta deinceps extime-  
 scit. O nos miseros, qui quorum facta sequimur, non  
 reformidamus exitus! & capita nostra non prius cen-  
 semus, quàm à barbaris hostibus detruncari patiamur.  
 Plura atq; haud scio an fuerint infinita, quæ hoc Turci-  
 co bello facerent promouendo. Nam ne veteres cor-  
 rogan-

rogandæ pecuniæ, modos consuetudinesque repetam; acciti, & quos vocant Sculteti, per regia bona semel electi, & in maiori adhuc numero pedites eligendi; tum & quarta pecuniæ pars bonorum regalium dimidio aucta, & in hunc usum collata; Iudæorum item à singulis capitibus geminatus census; auxilia denique Spiritualium statuum, & principum feudalium promissæ pecuniæ, atque copiarum tributa toto hoc regno urbium, & oppidorum; an non maximo fierent huic bello adiumento? Sed expedit tandem aliquando operi manum admouere, & propter maius quod impendet damnum, minus non modo patienter, sed etiam alacri animo sustinere. Hoc quidem à prouidendo dicta prudentia nostra, qua tantoperè excellere videri cupimus, à nobis postulauerit, ut aliqua grandi pecunia in usus belli Turcici semel ab omnibus collata, miles in stipendium conducatur, & tanquam cautor periculi, opportunis in locis collocetur. Quod si peræquè ut dixi, ab omnibus, qui Christo nomina dederunt, impetrari id nequit, ab aliquibus certè ut spero, & opto impetrabitur, & interim Pont: Max: pro concione populum, ad pia pro religione arma capienda faciat animari, nemo qui Christianus vocatur, otiosum spectatorem, alienæ calamitatis se præbeat, nemo Turcas debellandi occasionis tarditatem amplius præstoletur. Legimus Urbanum II. Pont: Max: à Claromontano concilio, tot Christiano-

rum cruce signatorum centena millia in Asiam immi-  
 sisse, & Palæstinam barbarorum seruitute liberasse: quî  
 nos his etiam dissimiles simus, & Martium vigorem in  
 nobis nondum desuisse, declaremus? Habemus tot tan-  
 tosq; hac tempestate principes, quibus nulla vnquam  
 ætas vidit potentiores: terribile est nomen Philippi Hi-  
spaniarum Catholici regis, Christi & religionis hosti-  
 bus: animus illius tanquã arcus est tensus, & incensus  
 studio religionis auctæ tuendæ & propagandæ, cuius  
 adedò auspiciis in orientis & obeuntis solis vltima iam-  
 pridẽ peruolauit fama. Hoc eius animo viribus & con-  
 silio, quoad per incertos valetudinis exitus diutiùs li-  
 cuerit potiùs vtamur, quàm communitate cum Turcis  
 consiliorum & armorum eius potentiaè obicibus po-  
 nendis abutamur. Quorsum alioqui nobis fuerint ar-  
ma? quorsum armamentaria? quorsum opes? quorsu  
nobilitas, virtus, ingenia, si ab egentibus, obscuris &  
barbaris capiemur? Iactabimus credo Euangeliu, quo  
 nihil est diuinius: ostentabimus libertatem, qua nihil  
 charius: commemorabimus amplitudinem nostram,  
 qua nihil est speciosius: Interim Alcoranum rem foedã  
 & impiam necessariò discemus; & apud vilia mancipia,  
 qui ad gloriam & libertatem nati, & educti sumus, tur-  
 pem seruiemus seruitutem. O miseriam, ô cœcitatẽ  
 deplorandã! Quid nobis tum proderunt gladij, & bom-  
 bardæ, quarum inuētores sumus? quid castra, quæ  
 tam

tam solerter metamur? quid arces, & quas munimus?  
 quid varia tela, quæ in nos ipsos, hostibus subministra-  
 mus? Equidem non diffiteor, verum nos semper, & v-  
 num coluisse Deum Opt: Max: sed sceleribus nostris,  
 factum à nobis alienum. Quid ita inquires? quia crux  
 quidem Iesu apud nos circumfertur; at numen & no-  
 men eius blasphematur: bonam religionem & leges  
 sortiti sumus; sed malos mores imbibimus: arma præ-  
 stantia indicimus; sed deliciis corpus eneruamus: egre-  
 giè castra metamur; sed in iis bachanalia celebramus:  
 trahimus deniq; potius, quàm ducimus militem in bel-  
 lum. Quem aut Caniculæ feruor, aut primorum frigo-  
 rum morsus interficiat, numero exiguum, voluntate  
 perditum, castreñ disciplinæ ignarū, exercitatione nul-  
 lum, scelere & turpitudine inquinatum. Turca infini-  
 tas contra opponit nobis suorum Myriades: milites ha-  
 bet victoriis factos senes, vsu & celeritate bellandi for-  
 midabiles: in castris deponit; nos assumimus vicia: est  
 vbique promptus, & expeditus semper; nos quàmplu-  
 rima impediunt: illius miles ter interdum numen ado-  
 rat; noster diu noctuq; perpotat, & vorat: illi nugarum  
 in exercitu nihil; nos infinita scorta, & pueri comitan-  
 tur. Ne multa. Propitio magis Deo Opt: Max: maio-  
 ribus exercitibus, melioribus moribus, prudentioribus  
 Ducibus, exercitatis magis militibus, in Turcam est o-  
 pus, si volumus, vt quantumvis licet Christianorum in-  
 ter se

Curio simu:  
 Sacer  
 bacchanalia  
 vivunt.

juventus  
 duci  
 possit, vel  
 eget  
 in trahi.

scortis  
 delinon  
 ducit  
 in in  
 malu  
 & liberte  
 à adimit.  
 in scortis.

ter se arma infesta, Turcica tantum ijs non sint funesta:  
 sic demum militaria in iuuentute non obsolescant studia:  
 sic in bellicos vsus, inito de quo dixi foedere, nunquam  
 nos deficiet pecunia: sic commeatus, sic munitiones,  
 sic aderunt vndequaq; auxilia: sic Christianorum no-  
 men, suis amabile, sociis admirabile, hostibus euadet  
 formidabile: sic omnes Italiae, Siciliae, Apuliae, Ligu-  
 rum, & Hetruriae, maritimae orae, barbarorum metu li-  
 berabuntur: sic Ponticum, Adriaticum, Ausonium, Tu-  
 scum, Ligusticum, Gallicum, & Hispanicum mare, &  
 alij sinus & portus praedonibus infesti, conuiuescent:  
 sic Alligerium, Asyllum latrocinij pyratarum recepta-  
 culum, captiuorum equuleus, Iunctum & Tripolis de-  
 ferentur: sic Rhodij, Tyrij, & Alexandrini Classarij di-  
 labentur: sic nulla ex Epyro, ex Illyrico manebunt pe-  
 ricula, Italiae ex Numidia, Hispaniae ab Africo, vna ex  
 parte littore, Galliae: & ex Scytia, Valachia, Hungaria  
 Poloniae, ex Pannonia Germaniae: sic tyrannicum  
 Turcarum imperium, si non veriùs latrocinium est di-  
 cendum, aut mole sua resectum, aut à Christianis regibus  
 & principibus cunctis tandem inter se, vno eodemq; ani-  
 mo & viribus sociatis, proculdubio euertetur; modò  
 interim haec colligendae in vsus bellicos pecuniae, fir-  
 metur & continuetur ratio, & milites iuuenes, & exer-  
 citati nostris in sedibus, opportunis in locis dispositi,  
 contra Turcicam rabiem, tanquam cautores sint peri-  
 culi,

culi, qui orientibus etiam aliquibus domi metibus & seditionibus, perpetuo alti, & suis aliquando cohonestati præmijs, vt enim corpus cibo, sic virtus præmio sustentatur, iidem asseruentur. Quod quidem Deus Opt. Max. Reipub. proprium & præcipuum, nos verò nobismet ipsis curæ velimus potissimum esse; vt cum adhuc nobis ferè omnia adsunt, nos ipsi nobis ne defuisse, & Byzantinorum exemplum imitati ne videamur, qui pecuniam Cæsari suo in defensionē vrbs, superbe primum negatā, extrema captæ die ad pedes eius supplices ferunt proiecisse.

\* locus  
hucus  
à simili.

NB

## LIBERTAS LIBERTATIS

Parad.

Mastyx.

3<sup>ti</sup>u

**N**emini fuerit dubium, libertatem ciuium administram esse iustitiæ, præsidiumque ac ornamentum publicæ dignitatis; quam vel prophani quique, & à veri ac vnus Dei cognitione plusquam remoti, ideò semper coluerunt; vt vno & æquabili iure, in ea omnes viuerent, & humani generis societatem sartam & que conseruarent; cuius & nomen esset pulchrum, & copiosus fructus, & res ipsa salutaris. Sed huic quidem eidemque libertati, adeò contermina est licentia, vt illi qui liberi esse, & videri volunt, facile licentiosi fiant, & sensim sine sensu in seruitutem tandem veniant, sicut canit Poëta:

Libertas  
nisi a  
nō ser-  
uifutit

I

Libertas

*Libertas populi qua regna coërcent,  
 Libertate perit, cuius seruaueris umbram  
 Si quicquid iubeare velis.*

Omnia quippe vitia, habent nescio quam virtutis speciem, & nihil facilius concomitatur, quàm licentia libertatem; sic, vt nescio quis legum seruus sponte sua esse voluerit, ne ijs solutus cogeretur seruire seruitutem. Nam sicuti eum, qui diu senex esse cogitauerit, mature senem fieri aiunt oportere; sic & liberis populis legibus semper pudore & reuerentia, quàm metu illarum magis expedierit paruiffe. Si enim vel nimium frena tibi laxaueris, integra fide raro vitia mansuescunt, & licentiosi fortunati euadunt. Minimè, inquires, patens hæc videtur ratio aut oratio. Quid si adeò etiam rebus cum rebus, & argumentis cum argumentis collatis, imò etiam & exemplis ipsis planissima futura est explicatu? Quid enim? an non Perfarum imperium seruitute, Græcorum immoderata serunt concidisse libertate? quæ talis & tanta fuerat, vt motibus perpetuis & licentia concionum tanquam flabello seditionum omnia in ea agerentur. Quod vt adeò etiam recentioribus exemplis testatum vobis faciam, superiorum temporum in Hungaria gestarum rerum seriem, licèt non sine dolore breuibus commemorabo: nefas quippe insultare fuerit ijs, quibus cum vicinus sis, tum & socius (quod absit) poteris esse calamitatis. Ad rem ergo vt veniam. Erat Hungaria

Perhi

Gul

Hungaria cùm ante actis temporibus omnibus, variis casibus & mutationibus semper obnoxia, tum vel maximè sub Matthiæ, Vladislai, & Ludouici Regum gubernaculis, conuentibus illis, qui à quodam ad Pestum rure Rakos dicebātur, maxima concionandi libertate, veluti quibusdam discidijs, quibus & periit, insignita, in quibus nihil magis proprium & peculiare fuerat, quàm modo hunc hodie, exagitare alterum postridie, & potentioribus inuidia, imbecillioribus potentia ad eorum obtinenda semper obstare. Quod cùm multis perdurasset annis, populus seu quidam magnus magister ad maiores assumendos spiritus, quotidie excitabatur, & aliquando etiam ijs artibus, opibus, & dignitatibus regni, præ alijs potiebatur. Vnde cùm nō modò inter ordines, sed & inter homines Hungarici nominis omnes variæ & multiplices intercessissent simultates, & ad illa postremò periculosissima interregna deuentū esset duo, in quorū primo Casimiri tertij Regis Poloniae filiorum duorū, in altero Ioannis Comitis Sepusij & Archiducis Austriae electio bipartita extitit Ferdinandi; cuius occasione à Sepusio Solimanus Turca euocatus, in Hungariam venit, & cùm paulò ante cepisset Taurinum, Regemque superasset Ludouicum, Budam postremò & ferè totam Hungariam cepit: vrbibusque & oppidis, quàm plurimis vastatis potentissimi Regni, cuncta flumina classe nauigauit. Artis enim est, nullum respiran-

Hungaris

Italy
 di tempus & spatium hostibus dare, & quoad eius ma-  
 ximè fieri potest, non tam paucibus, quàm victorijs ho-  
 sticum peragrare. Atque hoc quidem de Hungaria tan-  
 tum. Quid verò de Italia olim orbis terræ dominatri-  
 ce dicam? an eius vrbes atque principes, dum nunc  
 huic, nunc alteri externo Regi operam suam venditant,  
 dum potentiam iactant, dum arbitros se constituunt,  
 in maximas angustias & difficultates ipsi non incide-  
 runt? Nam & Arragonenses in Regno Neapolitano Re-  
 ge: à Gallis eo spoliati, & Ludouicus Sforza, Mora di-  
 ctus, decennali Lugdunensi carceri mancipatus ab  
 iisdem fuerat, & denique Florentia, Senę, & alię Italiaę  
 vrbes libertate exciderant. Ac de principibus quidem  
 illis inprimis est commemorabile, quod Ludouicus  
 Sforza qui arbiter Italiaę videri volebat, tam miserè sit  
 mortuus, & Regnum Arragoniorum nescio quis quo-  
 dam libro thesaurũ quærens eruto, quid de eo ipsiusq;  
 progenie fieri diuinitus debebat, legerit seminiuus. Cu-  
 ius rei etiamnum Varsouiaę documenta extant in qua-  
 dam Isabellę Arragonensis Ducissę sacra supellectili,  
 quam reginę Poloniaę Bonę suę filię donauerat, in qua  
 liber inuerso modo insutus, hunc annexum habet ver-  
 ficulum: *Lectio me moueat fletu.* quod haud du-  
 biè Arragonensi regi libro illo maiorum ipsius scelera,  
 & simul ob scelera pœnæ, quæ illum posterofque illius  
 manerent, denunciataę fuerant. Quid porrò de Germa-  
nia

\* nia Bohemiaque loquar? quam Euangelica illa ab ijs  
 expedita libertas pessimè ijs cesserit, quis ignorat? vt  
enim excrementa turdis; sic tumor & iactatio no-  
 cent ipsismet superbis. Ac videamus sanè aliquam na-  
 uem in alto fluctuari, cuius & Reip: magna est similitu-  
 do. An verò, si tu ita benè oneratam conscenderis na-  
 uem, vt nautæ nauclero remoto, vel nauclerus ipse re-  
 iecto clauo, in ea nauigaret, & cæli syderumq; rationē  
 nullam haberet, salutemne tu vllam ibi sperares? & si  
 quod interim naufragium accideret, ventis & tempe-  
 stati, an ijs, qui vel neglectis vel permutatis officijs e-  
 uerterunt nauem, id acceptum potiùs referres? Ad eum  
 modum habet se Respub: quam cùm non tam casus aut  
 fortuna, non tam vis astrorū aut inclinatio temporum,  
 quàm ipsorum præpostera gubernatio principum, aut  
 conatus contra eos ciuium euerterit feditiosorum; cui-  
 nē tu alteri rei quàm ipsimet adscripseris regi, aut sedi-  
 tioni in eum & abalienatæ populi voluntati? Cordati  
namq; reges vel altris ipsis imperant; fatui sibi ipsi inte-  
ritum accelerant. Fac enim, vt rex muneris & functio-  
 nis obliuiscatur suæ, vel populus in regē gerat se intem-  
perantiùs, & ordo ordini, proceres antistitibus, plebs  
 resistant magistratibus; an in hoc tanto tamque immo-  
 derato libertatis vsu, si non rerum omnium cofusione  
 potiùs, aliquid aliud quàm iunctum cum metu & hor-  
 tore non circumspectes? An quam hoc cùm magis non

reformides? Euerfiones namq; Regnorum vel ipforum  
 infernalium grauitatem vicerint suppliciorum: quæ ne  
 nos maneant mala, nihil profectò magis, quàm immo-  
 deratus vsus fugiendus est libertatis. Iam enim quæ ex  
 ipsa nascitur licentia, nihil magis proprium vel peculia-  
 re fuerit, quàm homines in ea natos & educatos præsen-  
 tibus rebus nunquam esse contentos; sed nouas & in-  
usitatas appetere quotidie magis specie quadam tuen-  
dæ libertatis, & partim aureatis partim aculeatis concii-  
onibus quæta commouere. Age enim videamus, quor-  
 sum iam tandem ista vitiorum mater, & dissidiorum fo-  
 mes excreuerit licentia? quot & quantæ inuectiones  
 vel neglectæ, vel contra leges sibi vsurpatæ, à Regibus  
 potestate audiuntur querimoniam? quot & quantæ mor-  
 daces voces & expostulationes infinitæ? quot denique  
 laudationes rerum & temporum præteritorum? quæ &  
 quanta omina malorum futurorum, quibus veluti à so-  
 mno quodam excitatus princeps, ea vicissim agit, ea  
 molitur, ea denique dies noctesque cogitat, quæ v-  
 ni quidem quam alteri parti magis, sed & vtrique sæ-  
 pius magno sunt incommodo? Præclarum enim in pro-  
 pensa erga se ciuium voluntate Regum est solatium, sed  
 & ciuibus regium animum expedierit semper habuisse  
conciliatum; qui tamen non miretur, multò verò mi-  
 nus molestè ferat, in vitam & actiones suas aliquos in-  
 quirere, & loqui plusquam par est de se libere: omnes  
 enim

enim eum qui in alto federit suspicere, ille contra de-  
 spicere solet aliorum sermones & obrectationes, inq̄;  
 Deo ipso Opt. Max. & rectè factorum conscientia  
 spem reponere suam fertili regione magis preciosam.  
 Nemo enim mortalium expleta omnia perfectaq̄; habu-  
 it, ac ne quidem illa tria, ingenium, iudicium, & exe-  
quendi facultatem, peneque semper possedit. Etenim  
 cum ingenij inuenire, iudicij inuēta discernere sit pro-  
 prium; exequendi verò facultas, fide in aggreudiendo &  
 celeritate in expediendo negotio opus habeat; duo pri-  
 ma ad Regem, tertium spectauerit ad consiliarium, vel  
 ministrum eius fidum. Rex ergò aut bona consilia per  
 se ipse quod summum est inueniet, & ea consilia quæ  
 suggesta illi fuerunt discernet citò, & fideliter impe-  
 rata exequendi suorum relinquet industriæ & firmi-  
 tati. Quos quales sibi afficiuerint, Reges viderint: à  
 cœcis quidem aut mutilatis, non nisi cœca omnia &  
 mutilata expectantur. Sed quid ego tantùm de Regi-  
 bus eorumque summis gradibus, quos, sicuti Poëta ait,  
perflant altissima venti, dixero? cum non modò Reges  
 regnorumque ordines, sed & homines ferè omnes ipsi-  
 met sibi sint contrarij. Nam quod ad Principes attine-  
 rit, curare quidem illi debent, vt officio suo satisfaciant;  
 & quemadmodum medici propter hospitalia, non illa  
 eorum causa eriguntur; sic & Reges populo propter  
 populum, non sua causa electos & inauguratos esse se  
 recorden-

Reges

XII

Lietid  
vngaricus  
oro

recordentur. Sed vt in aliqua re etiam errauerint, ferendi sunt nihilominus. Nam nec cum perfectis viuitur, neque mutatio omnis expedit, neq; decuerit sicuti colonos nouis dominis, sic in Regno ciues, regibus nouis delectari. Verum audiamus iam voces & expostulationes illas, quæ in Racosinijs, si Deo placet, Hungarorum Comitij personabant, & oratores noui stulti adolescentuli in discrimen patriam adducebant. Expergiscimini patres conscripti, circumscriptinè sitis, prouidete, vigiles & custodes Reip. vos ostendite; accisa Regni vectigalia in pristinum statum reuocate; & quod nec est nec dici vestrum potest, in communionem temporum vltro conferte: colonis vestris qui pecuniam impertiantur, nisi prius auaritiæ, luxui, & ambitioni vestræ imperaueritis, non imperabitis. Recordemini, non vlllo modo libertate, sed tantum vos superiores esse nobis hac quâ adepti estis dignitate; cuius etiã nos capaces quoq; existere, sed maiorum potius vestigijs insistendum esse, inter quos non de diuitijs, sed de gloria, non de voluptate, sed de honestate erat certamen. O quàm præstaret virum bonum, & pauperem priuatum suo contentum, quàm Senatorem alieno ditatum, nec solum manibus sed & oculis continentem, quàm aliena in prædia cupiditate inuolantem potius intueri. Quibus quid alij vicissim responderint, longum esset percensere. Respondebant quidem certè, cum horum nonnullos

seditio.

feditiosos ciues & sui, patriæ que suæ oblitos, in alienis rebus plusquam par est curiosos appellabant, cum fidem & existimationem ipsorum eleuabant; cum non vera nec Reipub. causa illa eos dicere, sed priuatę cupiditatis gratia affirmabant; quàm verè, dies opinor docuit. Etenim, quotusquisque istorum patronus libertatis fuerat, qui vel spe proposita alicuius præmij, quod delaudabat hodie, non vituperet postridie; & mentem oppressam præmio, linguam obstrictam non haberet mercede, cum illa qua par est reprehensione leuitatis? Cuius rei causam si quæsieris, non aliam inuenias, quàm quòd ad eum modum comparata est licentia; ut in ea nemo sibi constare, nemo discipulus sed magister esse, nemo subsequi, sed præire velle videatur. Et quod denique verum probatumque est, quodque communi sermone tritum in prouerbij abiit consuetudinem, grauiorem esse tyrannidem multorum quàm vnius, & plura illa quæ populus fecisset tollerata quàm laudata extitisse. Sicut enim in humano corpore malis humoribus pleno, pristinae sanitati restituendo, vel maxima quæque remedia, nullo vsui fuerint, si bona victus defuerit ratio atque obseruatio: sic in multitudine, in qua virtutum & vitiorum nullum est discrimen, gubernanda, vix alia via quid profeceris, quàm bonis præmijs, malis verò suis poenis tribuendis, ut iustitiæ qua regna florent, & cuius fruendæ gratia boni Reges à vero Deo con-

libera  
in reli-  
gione

stituuntur omninò satisfaciant. Etenim, si quod sibi li-  
cere hoc & decere se quilibet senserit, ex hoc quidem  
fonte, quot mala & incommoda Rempub. manent, faci-  
le est cognouisse; cum eò vsque progressum licentiæ sit,  
vt vel garrula anus, vel delirus senex, vel scurra leuis, vel  
patria sua extorres, de summis religionis nostræ my-  
sterijs liberè vt fit disceptauerint; à qua demum disce-  
ptandi libertate, ad immanissimum morem armis inter  
se decernendi etiam est deuentum, ardentque bellis  
omnia ciuilibus inciuilibus vehementer, & pietas in  
impietatem, religio in irreligiosissimam viuendi con-  
suetudinem est conuersa, sectæ tam inter se dissectæ, &  
hæreses pullulant infinitæ. Age progrediamur vlteri-  
ùs, & quot & quantæ patrimonio Ecclesiæ struantur  
insidiæ, mentis acie contemplemur. Enimuerò igno-  
ratur, quot in pactationibus verborum aucupia, literarum  
tendiculæ inferuntur, quot nouæ & ineptæ leges fe-  
runtur ad alios opprimendos: quæ deniq; fursum ac de-  
orsum non miscentur. Hęcine vero est libertas? Hęc-  
cine iuris dicendi ratio, & æquabilis proportio? Quid?  
si adeo sub magnifico libertatis titulo, multi quoti-  
die magis tenuiores premunt, rebus alienis in manus, vim  
virginibus, iniurias inferunt vicinioribus; & cum nihil  
non licentiosè, proterueq; egerint, tum in omnium opti-  
ma libertate natos, & educatos se gloriantur? Quid ita?  
quia videlicet talem prerogatiuam iurium, talem rati-  
onem

in iur-  
dij.

in oppri-  
medij

onem legum, talem indulgentiam habeant sanctorum; ut cum stupra, caedes, homicidia, & id genus scelera alia, aut prorsus nihil, aut quam lenissimè puniant, potentiores in imbecilliores, diuites in pauperes, seditiosos quosque in quietos arment ciues; ut non tam legum quam parietum praesidio salutem sibi quaerant, & tuti euadant. Egregias sane leges, & commemorabilem libertatem. Et quisquam dubitabit, non libertatis causa, sed bene viuendi gratia Regna condita & Rempub. constitui, & multitudine regenda plus posse animaduersionis seueritatem, quam vel promptissimam obsequendi voluntatem, & denique omnia Regna atque imperia magna, magna libertate non conseruari? Quod ut libet quis acceperit; metus quam spei potentior fuerit apud me stimulus, & vetita cum voluptate quari, formidine à peccando multos arceri. Quid? obscurumne fuerit, hanc de qua loquimur libertatem, non paucorum aut potentiorum, sed omnium, & minus etiam potentiorum, debere esse propriam; quae non in agendi quod collibuerit licentia, aut indulgentia legum, sed in quadam animi posita moderatione est atque temperantia, commotionibus mentis sedandis, & populis in officio iuris & iustitiae aequabilitate continendis? Etenim quod unquam mancipium est maius, quam quod improbissimo seruiert Domino? At quis deterior Dominus, quam animi perturbatio? Quae igitur libertas, si haec non ser-

Libertas  
vera

vide Cic  
de iur  
lib. 5.

uitus subijci eius imperio? Omne enim illud, quod  
consilio & ratione vacat, præter quòd nec mutatione  
quidem consilij aliquando emendari potest, consuetu-  
dinem inducit seruiendi. Iam verò, si feroces & indo-  
mitos equos cohibemus frenis & calcaribus, ne vel si-  
bi vel alijs noceant edomamus; ratione diuina præditi,  
& luce Euangelica illustrati, nos ipsos non frenemus?  
non appetitui nostro modum ponamus? non scienter  
& moderatè inter homines versemur? Quæ malorum  
est ratio, Deum Opti Max. expertem putare idè liber-  
tatis, quòd nunquam peccauerit? & an propterea ser-  
uus, qui non tam metu quàm reuerentia legum dicto  
se præstat magistratui audientem; non fur, non mœ-  
chus, non homicida est, non frena conscientia suæ la-  
xat, non contra officium aliquid facit, non minimè de-  
nunciatis alicui priùs inimicitijs ex insidijs quempiam  
aggreditur, grassatur, perbacchatur? Velim enim sobrij  
hominis cogitationem, hic idem qui hæc fecerit ad se-  
mihoram suscipiat expendatq; secum diligentius, vtrum  
nobilis, bilis atraue illa potius videatur facere aliquid,  
quod non debueras, & demùm deprecari apud eum  
culpam, quem notatum volueras. Nemo quidem, ait  
ille, nisi à se ipso læditur; qui verò ab altero errati veni-  
am petit, eum & proculdubiò digniorem se tacitus  
confitetur. Et quisquam dubitabit, non in agendi quòd  
collibuerit libertate, sed partim ob ciuilitatem morum,  
 partim

partim ob præstantiam frequentiamque ingeniorum Christianas gentes nationesque omnes, vna quidem præ altera magis spectatas & gloriosas iudicari? Moratam enim & constitutam Rempub. benè, nihil decuerit minus, quàm multos eos, qui eam turpauerint habuisse; cui poenarum & præmiorum recta distributione & æquabilitate, pax & tranquillitas domi, foris armis gloria comparatur. Quo magis est considerandum, ne quibus fundamentis omnis vel maximè nititur & firmatur Respub. contrarium, poenarum, legum & iudiciorum efficiat dissimilitudo. Hæc enim demùm vera est libertas, in qua iusto & moderato atque æquabili iudicio legum vniuersi continentur: quippe vna & constanti voce, non varia & multiplici, lex omnibus loquitur, tum vetando, tum verò etiam imperando; sic, vt non temere quidam olim dixerit, medicorum & iudicum officinas similes sibi esse debere semperque debuisse. Nam sicuti quidam medicus quoad morbum, vtrum æger seruus Dominusue sit non considerat: idem etiam citra omnè dubitationem in iudicio fecerit magistratus, cum si se-  
cus fiat, vbi ille desinit, ibi Deus incipit ius suum vindicare necessitatis. Quocirca olim Romani, quos Hypponensis Antistes ob iustitiam diuinitus tanto imperio & victorijs auctos alicubi testatus est, vel leuioribus quibusque delictis, grauissimas irrogare consueuerant poenas, legionesque decimare integras, vt terror ad multos,

\*

Augustinus

animaduersio ad pauciores pertinuisset. Cōtrà verò malorum seu quandam lernam legum & poenarum intueamur indulgentiam, an, cū alicubi gentium reperiatur sanctio, quæ furem vel minimi reum furti perimat laqueo, homicidam verò liberum pronunciet are paruo dissoluto, non maiores inde quotidie cædes & homicidia subsequuntur? Cū tamen nemini sit dubium multò maiorem iacturam esse vitæ quàm pecuniæ: nec scio, cur fure quàm homicida puniendo lex debeat esse feruorior: qui hominem mactauerit, ille quadrupedem, & non tam ille ad comittenda furta, quàm homicida ad patranda efferatur scelera: quippe indulgens lex & impunitas, excitat ferociam & immanitatem. Postremò, ac si vna eademq; perpetuò durent & æstimentur tempora & leges, quæ olim melioribus moribus pacatioribusque ferebantur temporibus, huic congruant ætati, aut potius procellarum plenæ tempestati, omni non dicam dissoluta, sed ferè sublata disciplina. Olim namque reuerentia legum & pudore, nunc vel exquisita aliqua poenarum acerbitate vix licentiosos frenaueris. Quo nimirum iure non tam generis quàm sceleris, non tam nobilitatis quàm immanitatis perantiquæ, an non tantum cuique ferè licet quantum libet, tantum libet, quantum audet, tantum potest, quantum plus est iurium bubonibus, quàm muscis telis araneorum perrumpendis? Quid enim? an Magi stratui alicubi, captium fa-

certum.  
prouda.

cere eum licuerit, qui vel illis possessionibus potiatur? Quo fit, vt nocentibus atque reis tot sint effugia, quot  
causidicorum consilia; tot adiumenta, quot integu-  
menta, non iure sed precio sententiæ describendæ.  
 Dantur quippe inquisitiones, quæ vulgo appellantur  
scrutinia, corrumpuntur testimonia, litium controuer-  
sijis verborum inseruntur aucupia, & nefario quoq; ho-  
 mini atque multa non desunt patrocina, vt pessimam  
 habuerit causam actorem eludendi, qui tot genere illu-  
 stres, autoritate firmos, clientelis & opibus abundantes  
 contra se intuitus, desperatione tandem frangitur, ius  
 suum vt cœperat non persequitur, imò verò etiam ali-  
 quando ab ipso reo scelus scelere in eum cumulat. Quæ res cum à multis legitimè diu multumq; in orbem  
 ducatur, & publica autoritate ac conniuentia acceden-  
 te multorum audacia indies adeò augeatur; quid mi-  
 rùm, si apud nonnullas gentes, & nationes nomen  
 tantum inane libertatis mansit, res verò ipsa eos desti-  
 tuit? Quid mirùm, si primum quidem infamia, mox ma-  
 net & interitus communi sceleris nexu pariter obliga-  
 tos? Quid mirùm, si regius supernus ordo, qui aliàs ex-  
 tra inuidiam fuerat, nunc ea vehementer laborat, &  
 præsens rerum status perpetuò damnatur, nouus ni-  
 mis & assiduè desideratur? Quid mirùm, si suæ quemq;  
 sortis capit facietas, & defertur quisque hospes quo ra-  
 pit tempestas? Quid mirùm, si gubernatori clauus eri-  
 pitur,

Effugia  
 L. Leatid

pitur, & remigibus argonautica cōmittitur? Quid mirum, si quàm plurimi opibus & facultatibus Regni abutantur, & ad honores dignitatesque publicas non ianua sed pseudotyro immittuntur? Quid mirum, si religio Dei Opt. Max. profanatur, altare contra altare collocatur, ius, fas, æquitas, maiorumq; mos & institutum violatur? Quo etiam videamus magis, si erit poena quam non meruimus; si erit diuina aliqua ultio, quã in nos capitaque nostra non deriuauimus impotenter. Enimvero, si ob illatas Nabotho iniurias cum coniuge & liberis excisus est Achab; nos meliora expectauerimus? Et quid non potius Niniuitas imitemur, numine diuinitatis placando, & sacrosancto nomine inuocando? Licentia quò magis delectauerit singulos, eò citius perdidit vniversos, & vtinam saltem re non nomine gloriemur libertatis. Tandem sensim sine sensu vniscuiusq; rei aduentat tempus: & sicuti in angustiis scopulis naufragium, sic duobus in extremis ægrè vitium euitatur. Præstat interim poenitudine duci, quàm poenam ipsam experiri: consilium in melius mutare, quàm in alto & tempestate, nescius quem capere debeas portum, fluitare: recolligere semetipsum antequam ab alijs redigare in angustum: videre denique, ne cùm fastigium attigeris, ex eo rursus præceps per decliue collabare.

VNO BONO MELIUS, ET ÆQUALI-  
*litate nihil est inæqualius.*

**F**erunt Romam, quæ exactis olim regibus, vnus abhorruit dominatum, cum suo & Reipub. magno malo, non omnium optimam plurimum administrationē sepius cognouisset, ad vnum Cæsarem Augustum detulisse imperium: qui post multas & varias Agrippæ & Mecœnatis inter se disceptationes, postremò illud suscepit, & quidem diutissimè pacatissimeque omnium Cæsarum etiam imperauit. Diurnitas enim dierum, & tranquillitas gubernaculorum, magna erga nos diuinæ argumenta sunt voluntatis. Cuius rei haud scio si absimile exemplum in Polonicis historijs licuit alicubi cognouisse. Cùm enim aliquando Lechi primi, vt autumant gentis auctoris, stirps in Polonia defecisset, primùm quidem ad duodecim Palatinos, mox deinde ad vnum illum Cracum delata sunt gubernacula; quòd ea forma maximè Reipub. expediret, & sapientiam æmularetur diuinitatis, & quòd inter duas gubernationis formas optimatum & popularem, Monarchia vna diutius perduraret; quarum hæc in licentiam, prior in paucorum degeneraret dominatū. Quod ipsum in diuersis duobus Græciæ legislatoribus est videre, quorum alter Lycurgus nuncupatus, gubernationis formis tribus Spartam inductis, septingentorum anno-

L

rum

*Parad.*  
*4<sup>th</sup>um*  
*Monar.*  
*Sciam*  
*de fen-*  
*dit.*

*m*

rum firmitatem & diuturnitatem ei præstitit; alter, videlicet Soló, antequam vel ipse moreretur, Pyñstratum Tyrannum patriæ suæ vidit, statu inducto in Rempub. populari. Nihil enim quod naturæ contrarium est, habuerit firmitatem, aut certè diuturnitatem. Quam si vt prouidam & solertem rerum omnium magistram placuerit imitari, sicuti quidem in apibus regem vnum, in armentis ducem, & vel in inanimatis inter gemmas adamantem, inter metalla aurum, in sideribus excellere intuemur solem: sic & in administratione publica, vnum quàm plures præesse rebus potius patiemur. Quemadmodum enim priuata domus vno familias patre, nauis gubernatore, exercitus duce; sic & Respub. indiget vno rectore; adeò vt difficilimis rebus & temporibus, vbi iam de salute omnium agebatur, vni data fuerit potestas quod placuisset statuendi, neque solum id, quod diximus Romæ, sed & in multis alijs gentibus atque nationibus vsu venisse legimus & audimus. Multi enim consultò audiuntur, sed peræquè non exaudiuntur singuli: & interdum vnus rectè iudicantis, quàm plurimum standum est potiùs sententiæ, & mos gerendus voluntati. Vt enim in consilijs multis multa salus veteri prouerbio semper dicitur, fit vel nonnunquam & confusio; nec vt petendo consilio aliquid vtilius, ita & periculosius est aliquando, præsertim si eius qui consilia discernere debet, debilior fuerit intellectus. Vt enim

enim malè se res habuerit, quem in penetralibus cubare par erat, extra limen paterfamilias exulat; ita qui consilium præstare ipse debeat, consilium ab alio fortè expectat. Quidam enim, quorum consiliorum profunditatem capere nō potuerunt pectoris angustia, exposuerunt se vulgi, inuidia, & irrisioni sempiternæ. Secus quidem de bonis & cordatis regibus est iudicandum: quod ipsum Darij olim exemplo satis est probatum. Et si auctoritatem scriptorum spectes, grauisissimi quique & sapientissimi viri, tam Oratores quàm Poëtæ atq; historici, vtpotè Cicero & Demostenes, Homerus & Hesiodus, Xenophon & Plutarchus idem semper senferunt, & regis vnus administrationem cæteris omnibus prætulerunt. Sic vt & à Poëtis ipsis, regio nomine Iupiter celebretur, quòd quasi inter mortales regibus nihil sit augustius, nec vlla vnquam tantam auctoritatem quantam, regalis Maiestas sinu suo complectitur. Est namque regium munus grauisimum onus; sed & tantus honos, quantus pro tot exantlatis laboribus cælesti diademate (si in officio perstiterimus) proculdubio cumulatur. Quo magis & in inaugurandis regibus illa verba audias vsurpari: Qui tibi inquit maledixerit, maledicatur: neque id immerito. Nam qui legitimi regis restiterit imperio, ne haud ille diuinæ paruerit etiam potestati: quippe cū quantum Dei in omnes, tantum in subiectos sibi supremi imperium est magistratus; ita pro

fectò, vt non minus verum quàm falsum sit etiam illud quod de tyrannis dicitur, eorum in nos iustam quidem esse potestatem, sed periniquam voluntatem. Diuinum enim numen, occulto quodam consilio, hostium suorum vtitur opera, hostibus alijs proterendis. Quod in Attila, qui flagellum, & in Temirane, qui iram se appellabat Dei vidisse, & aliàs experiundo licuit cognouisse. Plura enim nequitiae quàm exempla fuerint bonitatis: tametsi quidem, vt castigatis parentes pueris, virgas in flammis conijciunt, & Tyranni exercitis alijs, postremò & ipsi exuruntur. Quod tantò etiam libentius iustissimus facit Deus Opt. Max. quantò ad summa euectos tandem sui ipsius obliuisci videt aliquando, & otio quàm negotio, voluptati quàm dignitati magis studere. Quid enim est aliud Rex, quam rector & moderator populi, qui iuris & iustitiae æquabilitate cunctos deuincit, & virtutis præsidio tuetur & defendit? Quo errante, sicuti solis defectu mundum, sic turbari oportet Rempub. & vel sapientissimum Senatum non sufficere erroribus ipsius corrigendis. Vt enim Iringum herbam esse dicunt, quam si caprarum aliqua in os acceperit, non modò ipsa sistitur, sed & reliquum gregem reddit immobilem: sic & princeps, si per se ipse quid factò opus sit non viderit, nec consiliarios quidem ipsius ad enodanda difficilia quæque promptos & intelligentes semper futuros: vt enim remigibus, sic etiam ex-

Nota:  
Iringum

am experiēti nauclero à procellis & tempestate nauis salua potissimum tribuitur. Quocirca, si in Rep. cui Rex præest, inops consilij existat; erit & habebitur suspicax propterea, quòd inopiæ consilij est semperq; fuit suspitio argumentum: si verò perpetuis laborauerit suspitionibus; sensim tandem euadet tyrannus, cùm timidorū omnium maximè nobilitata sit crudelitas. Quando porrò ex alieno nutu pendebit, mente & cogitatione vacillabit semper: quia incertus, num benè vel secus egerit, tanquam hospes tempestate defertur, & non necessarijs angoribus animi aliquando etiam conflicta- tur. Imperitus enim æquitatis & vagus ac mente vacillans, expers est tranquillitatis. Age, si præceps & temerarius, an non protinus ruit? si ignauus, negotia deserit: si sibi ipse præfidit, fallitur: si dissolutus, circum- scribitur: si nimium indulgens, despicabilis: si morosus odiosus: si verbosus vanus: si taciturnus habebitur semper suspectus. Oris enim libertas, nonnullum nobis beneuolentiæ, taciturnitas aut reconditæ sapientiæ, aut rursus opinionem parit stuporis, & abalienatæ ab alijs voluntatis. Sic vt in hac difficili & laboriosa gubernandæ Reipub. ratione, non modò iam morum & ingenij facilitate, verùmetiam felicitate quadam diuinitus profecta regibus opus esse videatur. Frustra nam- que tam animi quàm corporis intenduntur vires, numen propitium si abfuerit diuinitatis. Iam verò, sicuti

quidem bono & sapienti Principi, fidus & intelligentes consiliarios expedierit habuisse; sic ijs legendis & habēdis, nihil, quod sciam & dixi, fuerit periculosus. Quis enim tibi sponderit ab eo à quo consilium petieris, bonum & fidele perpetuo profecturum? Dies succedit diei, & ambulantis aliquid instar mortaliū Deus indidit voluntati. Quotus denique consiliariorum fuerit, qui pariter & sciat & velit in rem consuluisse? Nemini quidem fuerit dubium, plures semper reperiri, qui utilitatem suam, quàm qui principum spectauerint dignitatem. Quorum audienda sententia penitiora animi explorare sensa difficillimum omnium iudicatur. Magnæ enim latebræ & abstrusi recessus sunt animorum, quos nisi vnus ille Deus Opt. Max. quem nihil effugerit, expiscatur. Interim persuasum esse debet, nihil tam esse incredibile, quod non dicendo fiat probabile; & rursus nihil tam probatum, quod verbis extenuare, vt fit inuidia, & corrumpere non possit suauiloquentia. Sapientem enim raro are, dicendi & persuadendi vel nonnunquam corruperis facultate. Quò magis Rex viderit, quem & qualem ad consilia vocauerit. Nam multis opes, pecunia, avaritiæ sunt præda, non instrumenta bonitatis; ita vt præ nimia cœcutiant siti se suosque ditandi, ac rarissimus fit, qui illum Hungariæ apud Vladislaum Polonum eius Regem Cancellarium imitari velle videatur, qui ipsius fratrem Sigismundum non  
omnium

omnium splendidissime in aulam eius fratris venientem conspicatus, cum nescio quam inde molestiam coepisse se Rex præ se tulisset. Visne, inquit, ut huic incommodo citò remedium afferamus? Omnia ea, quæ per me fiunt, cum aliquid datum aut curatum volueris, ipsi mandato, & mox opibus & comitatu auctum proculdubio videbis. Quod ipsum etiam à maioribus natu audiimus accidisse. Quò enim benevolentia Regum, eò & obsequia inclinant se populorum. Sed hæc non morum neque temporum præsentium fuerit consuetudo. Quæ quantò etiam exolescit magis, tantò quidem oportet rex sit cautior, & regni muneribus facultatibusque in aliorum gratiam tardior largiendis. Etenim multi multorum beneficijs regum conciliant sibi gratiam, quam par erat referri vnis illis acceptam. Quid? & quis dubitauerit, id quod semel in deliberationem posueris, nihil minùs quàm latere diu posse, aut vnquam potuisse? Omnium etenim eorum, quorum conscium feceris alterum, non amplius profiteare te esse dominum, & quod hunc rescuuisse, hoc suspicatosciturum numerum etiam infinitum. Itaq; ad hos tantosque ceu scopulos in administratione publica declinandos, acri quadam & perspicaci prudentia, & magno magnarum rerum usu & intelligentia Rex ipse indiget, & in Senatum suum asciscendis consiliarijs, ac quò ad eius fieri maximè possit, ad pauciores numerum restrin-

stringendis, elaboret: ne conscientia multorum infida  
 \* custos sit secretorum; & ne multis ac longis ceu qui-  
 busdam contra se declamationibus, tum temporis, quo  
 nihil est charius, tum ipsius iactura fiat veritatis. Anxiè  
 enim disputando & aliàs allegata repetendo, vt plerumq;  
 fit, infectis rebus disceditur. Quo magis Venatorum  
 floret Respub. in qua non tam rogati sententiam mul-  
 ti dicunt, quàm quid sentiant, alia ratione declarant, &  
 aliorum dicta aut tacitò improbant, aut assensu suo co-  
 honestant. Molestum enim est, non neminè adhuc popi-  
 nam exhalantem in Senatum venire, & longis quæ nec  
 caput, neque pedes habent orationibus, quibus nec si-  
 bi quidem constant ipsi, maiora animo agitantem prin-  
 cipem temerè impedire; quod partim ignoratione ac-  
 cidit veri, partim etiam vanitate. Plures enim videri  
 quàm esse aliquando volunt, & antequam dicendi faci-  
 ant finem, eorum quæ initio dixerant, in obliuionem ve-  
 niunt, ac sibi ipsi aduersantur. Cui quidem incommodo  
 vt Solimannus ille Turca in suis purpuratis occurrisset,  
 quoad eius fieri poterat magis legebat semper paucio-  
 res, & haud scio an prudentiores. Quibus de aliqua re,  
 temporis, loci & personarum suppresso nomine, priua-  
 tim priùs interrogatis, publicè demum sententiam di-  
 cere eos iussit, & si fortè contraria sibi dixissent, vehe-  
 mentiùs obiurgauit. Nefas enim abuti conscientia est  
regum, nec vllam habuisse rationem antè dictorum. Ac  
 ne mul-

hanc 3m  
 de vii d. p. h. h.  
 ut in p. p.  
 videri  
 L. ut i. d. v. e.

næ multa consilia quidem & consiliarij apprimè sunt necessarij: sed in his esto delectus atque discrimen: cum frustra consilium petat, qui cui vsui illud futurum, & quale, ac à quo profectum sit, non discernat. Poterat sane Deus Opt. Max. sine cuiusquam ope vidisse & præsciuisse, & adeò etiam omnia perfecisse: & tamen nihilominus & in veteri lege, post ædificationem turris Babel, Descendamus & videamus, inquit: & in noua de quinque hordeaceis panibus, ac de tanta hominum multitudine satianda, suorum exquirere consilia minime dubitauit. Quid ita? vt ostendisset, neminem, propterea quòd capit consilium, eo à quo capit fore inferiorem; sed imò, vt in syderibus solem, sic principem intelligentem inter consiliarios rectè vel secus consulentes, magis splendere. Qui si vnum illum reueretur Deum Opt. Max. quì præ cæteris omnibus non habuerit intellectum magis illuminatum? Nemo enim fortiores habere diuinitus custodes dubitauerit quàm reges: nec aggredi, imò nec calumniari eum audet, cui diuinum numen præsto fore credit, piè pureq; ab eo inuocatum. Primum ergo omnium Rex pietatem colat; sed nunquam assimulatam habere se ostendat: manent enim simulatores grauisimæ diuinitus pœnæ, nec fictæ res solent esse diuturnæ. Quod vel inde maximè cognoscitur, si Deum quidem Opt. Max. quem non videt, amare se dixerit, & proximum non respexerit, quem quo-

\* tidiè & quidem implorantem opem intuetur. Linquat  
 idem verbosam rerum omnium dōminam, solidam cō-  
 paret sibi sapiētiā, quæ in bonis eligendis, fugiendis-  
 que versatur contrarijs, & partim negligentia, partim  
 verò temeritate est infecta: cū præsertim temeritas,  
 sicut luci noctua, inimica sit consilio; & incuria, bene  
 gerendæ rei occasione semel posthabita, alterius & sæ-  
 pius frustra expectauerit tarditatem. Occasiones quip-  
 pè frontis capillatæ instar, vt prehendi possint, occur-  
 runt rarò; sed vt terga verterint, caluæ sunt, & reuer-  
 tuntur serò. Demùm etiam fortitudine, quæ robur ani-  
 mi fouet, & gerendarum rerum dicitur vehiculum, vn-  
 diquaque muniatur. Nulla enim magis re constiterit  
authoritas regis, quàm fortitudine & felicitate. Idem  
 liberalis & beneficus esto, cū his veluti quibusdam a-  
 lis, ad summa quæq; principes subuehantur: ita tamen  
 ne voluptatum moderatrice careat temperantia & fru-  
 galitate, cuius patrum familias propria est laus, prorsus  
 etiam destituatur. Nam tametsi prodigalem, non so-  
 lum liberalem regem velit esse Aristoteles: tamen ali-  
 quando etiam, vt regia commendatio, frugi dici regem  
 non videatur, parsimonia diuitiarum est conseruatix:  
 sine quibus, tanquam instrumentis rerum, nec domi, ne-  
 que omninò foris dignum regio præstiteris domina-  
 tum. Non enim tūm primum cū necessitas ingruerit;  
 sed multò etiam antè de bellinervo pecunia est pro-  
 uidentum,

AB

uidendum, quæ tamen etiam extra bellum in usus optimos collocari debet; ut à sordibus vindex, & fulgoris instar regalis sit maiestatis. Diuinum enim numen propter retributionem, & regale nomen propter spem & metum veneramur. Atque his quidem virtutum præsiidiis, tanquam quibusdam mœnibus septus, optima vitæ præcepta & exempla regius animus delibabit: & studiorum suorum finem, non tam in contemplatione, quàm in actione semper reponet. Debet enim omnium, sed maximè regum, non otiosa esse contemplatio, verùm à qua demùm in solem & puluerem, quod aiunt, otius etiam prodeatur. Qualis Caroli V. summi illius cæsaris fuisse aliquando memoratur: qui postquam à prandio in penitiora palatij se retulisset, cum maximè solus, tum minimè fuerat solus, rerum temporumque momentis secum ipse expendendis; sic ut Cæsaris somnus & podagra, bellorum de quibus cogitabat, fomites dicerentur. Quanquam ille se suaque tuendi causa, & neminem opprimendi gratia bella gerebat: & non solum rege ac monarcha, sed cultissimo quoque viro digna semper sit contemplatio: quam Dionysius Tyrannus, quid Platonis consuetudo ipsi profuisset interrogatus, tanti fecerat, ut exilium quod patiebatur, moderatiùs se propter eam ferre testatum reliquerit. Vna enim virtus altissimis defixa est radicibus: & literæ semel hausta, quocunq; ieris perpetuò te comitantur. Vnde

*M.  
Stylus  
pulcher*

& Philippus Macedonia Rex Alexandrum hortabatur filium, vt Aristotelem præceptorem, in intimam consuetudinem suam non dubitanter admitteret, & ad bene beateque viuendum præcepta ab eo delibaret. Qui & ipse tanto doctorum ac literarum tenebatur studio, vt Iliadem Homeri pretiosissimo cuidam scrinio, à victoria parto, includere non dubitauerit. Multa enim possunt æstimari magno, sed clarissimorum quorumq; ingeniorum monumenta debent semper maximo. Age Alphonsus Neapoleos & Arragoniæ Rex, an regem illiteratum, a sinu aliquando non dixerat inauguratum? Multò quippe est miserius, quantum quidem humanitatis spectaueris studia, quod inferior nouit te ignorasse, quàm caruisse ijs, quæ non tam necessitati, quàm deseruiunt voluptati. Non ægrè quippè hæc & illa dilargimur sæpè alijs, vna verò ingenij laude inuiti spoliatur. Quamobrem, vt vnde ortum habet, eò se referat & oratio, Vno bono melius, & æqualitate nihil est inæqualius: cui proprium præcipuumq; fuerit, naturam illustrem & eximiam habuisse: alterum perpetuò discere voluisse: postremùm viros experientes ac doctos familiares sibi reddidisse. Solum enim alienum, colloquium prudentum senum, & casum infestum, acuerè videas intellectum. Sic vt & magister morum diuinus ille Plato, tùm demùm felices fore diceret Respub. cùm aut philosophi eas regerent, aut reges philosopharentur.

Sed nec

Sed nec suffecerit quidem doctum aut prudentem habere regem, si in doctos ac prudentes non extiterint exempla munificentiae ipsius singularis. Qualem olim Carolum Magnum Imperatorem, & patrum nostrorum memoria, Franciscum I. Gallorum regem, vt in multis paucos memorem, audimus extitisse: qui Budæo, post vnâ habitam apud se orationem, decem millia, aureum nummum, liberaliter donauit: & cum quædam nobilis mulier de Tapes, ipsius amasia, decies centena millia ab eo paulò post petijffet, daturum se denegauit, quod doctis & fortibus talia deberi: & quæstoribus, nisi eam prius vidisset, tantam pecuniam numerare recusantibus, nunquam aliàs vidisse se vltro confiteretur. Secus autem in aliis principibus licuit vidisse, qui ipsi literis imbuti, doctos nihilominus contempserunt. Malè quippe se habet, cum lupus lupinam est, & doctus docto, princepsque consiliario obtrectat bono, quo quàm fido ministro, mauult vti adulatore. Vetus prouerbium est: Hyrundinem domum non recipiendam. Quod non aliunde dicitur esse natum, quàm quòd hyrundo præ-nuncia Veris, cicadam Musis amicam solita fuerit deuorare. Quæ sanè ipsæ, vt ita dicam, cum doctis inimicitiae, cum omnibus, tum maximè turpes sunt regibus, à quibus omnia, & fama gloriosa, & beneficia grata, in genus hominum iure & meritò proficiscuntur. Nam duo quidem potissima sunt, quæ reges illustres & admirandos,

M 3

mirandos,

*est, re, edit.*

*cicada*

*in inferi*

*European*

*Academias*

*Barones.*

*contra literatos adia sedestatur inde periodus culte vnde.*

mirandos, & gentes ac nationes celebres ac spectatas  
 reddunt, armis præclare res gestæ, & monumenta scri-  
 ptorum, præsertim clariorum. Quorum similes si ali-  
 qui aliquando reges, vt certè sunt pauci, reperiuntur;  
 & quis in honore eos non habeat? quis non reuereat-  
 ur? quis omni cultu & obseruantia non prosequatur?  
 Nam si talibus obsecundare, seruire aliquis dixerit, nã  
 ille negabit morem gerendum & parentibus, quod ab  
 omni pietate longè fuerit alienum: cui enim potest esse  
 fidus, qui à suis impotenter est auersus? Quo etiam li-  
 bentiùs, sicuti parentum in liberos, sic bonorum prin-  
 cipum in subiectos, legitimum imperium perpetuò a-  
 gnoscamus, & vnã illam monarchiam, alijs Reipub.  
 formis non inuiti præferamus. Etenim omnis quidem  
repentina mutatio mala, sed gubernaculorum est pessi-  
ma. Et erit cuiquam dubium, monarchiam in tyranni-  
dem non tam faciliè decrescere, quàm aut optimatum  
statum degenerare in potentiam paucorum, aut verò  
hanc rursus in licentiam popularem? Est enim præceps  
 & lubrica ingenita ferè omnibus ambitio, quæ medio-  
 cribus non contenta, tendit semper ad altiora. Populi  
 verò ingenium, cum suapte sit ventosum, vix habuerit  
 aliquid tertium, quàm vel abiectè seruire, vel impoten-  
ter dominari. Prudentes interim actiones principis va-  
 cant temeritate & negligentia, qui diligenti si sapit semper  
 quàm metui mauult: cum metus non diuturnus magi-  
 ster offi-

ster officij, amor, præsidium magnum regalis fuerit stabilitatis. Qui enim vult metui, metuat vicissim oportet quàm plurimos. Ac sicut hortis ingressu amœnibus, qui labyrinthi appellantur, initio delectamur; secus, si opinione egrediendum est celerius: ita & consiliorum quorundam initia faciliùs videas, quàm exitus peruestiges. Proinde, cùm aliorum quidem gratia, tùm sua vel inprimis causa, rex quàm tyrannus pro se quisque potius esse voluerit: debet enim populus rigore, quàm lenitate magis regi; sed non debet suorum sanguinem & funera identidem intueri. Sed age progrediamur. An enim vnus, quàm multorum imperio non faciliùs paruerimus? an commotiones eius animi non frenauerimus? & denique opibus in uiderimus minùs citra omnem rivalitatem? Æmulatio enim inter pares, veneratio & obsequium fit in superiores. Ferunt humani corporis membra (libet enim ab homine, hominis causa similitudines vsùrpare) ferunt inquam, contra stomachum, quòd hic vnus præ aliis pluribus indigeret, aliquando conspirasse: at & hunc vicissim vnum intrepidè in proscenium egressum fuisse, & quod temerè culparetur, euidenter ostendisse. Nam cùm ex inuidia necessarium cibum alia corporis membra stomacho subtraxissent, languereque quodammodo incœpissent, tandem vtique ad vnum illum eundemque stomachum, vt cibum digereret, & digestum per venas & arterias transmitteret,

est recur-

*multo  
timeat  
is quem  
multo  
timeat.*

est recursum. Quo ipso languidum & debilitatum totum corpus, proculdubio refecit atque recreauit. Ad eum verò modum habent se etiam in Repub reges, de quibus vulgus hominum, quod multis opus habeant, conqueratur, multum tamen certè in illis positum est salutis & dignitatis; sed illud est hac in parte mali, quod carendo quàm fruendo bonis, eos tandem magis tecum ipse recognoscas. Quid enim? collustremus omnem antiquitatem animo, & præsentia quoq; tempora si libet intueamur. An non multi & magni in omni memoria extiterunt reges, qui immensam illam, quod collibuerit, faciundi libertatem, in gyrum rationis conuerterint; diuitiarum copia, victoriæ ferocitate, rerum gestarum gloria insolentiores facti non sint; regna & imperia oblata spreuerint; se suosque appetitus domuerint? Multa quippè & magna materno cum lacte imbibunt ipsi reges, & quas docti plurimi nesciunt, has illi natura imbuti regulas discunt gubernandi. Quarum rerum exempla in priuatis hominibus, quàm principibus viris rariora videas, non tàm quidem ( vt opinio mea fert ) ob scriptorum malignitatem, quàm ob eorum, qui hac in parte industriam probassent suam, paucitatem. Errant enim qui existimant, talem quemq; principem fuisse, qualem scriptorem habuisset, cum id in Nerone, Caligula, Heliogabalo, & aliis naturæ humanæ portentis, secus licuerit cognouisse, quibus non a-

dedò

dedo factu difficilè erat suæ ætatis omnes rerum gesta-  
rum corrumpere scriptores, qui contra eos in vnum  
consentiunt vniuersi: fructus enim præsentis à verita-  
tis via hominibus abducendis stimuli sunt efficaces.  
Verùm satis superque constat, semperque constabit,  
non peræquè assidue verum esse, quod dicitur: Hero-  
um filios noxas spectari; cum adeò compertum sit, vel  
ab ipso mundi exordio, vitæ & necis imperium regibus  
eorumque filiis, præ multis alijs creditum fuisse; litium  
dijudicandi controuersias potestatem populos com-  
mississe; summum semper honorem & obsequium præ-  
stitisse. Etenim multi, licet fuerint digni regum posteri,  
gubernaculis sunt dignissimi. Debetur quippè gratiæ  
liberis multum benè de Repu. meritorum, & iam mor-  
tuorum, quos vt patrius à regnando mos excluderit, hu-  
manitas ciuium rursus recipere solet, nec iure non de-  
bet. Nam & cura ipsorum geritur diuinitus maior, &  
angelus custos adiungitur fortior, & ipse intellectus ad  
gubernandum proculdubio fit illustrior. Quid illud &  
quantum fuerit, quod, si recta & diligens præcesserit e-  
ducatio, sicuti apum, ita & hominum reges, vt plerum-  
que fit, carent aculeo, nec ad summam potentiam, mo-  
rum adhibent austeritatem? Quò enim illustri magis  
quis nascitur loco, eò interdum amœniori est & inge-  
nio; & diuinæ vt in terra particeps potestatis, sic & æ-  
mulus bonitatis. Ac denique, quemadmodum vnus  
N idem-

*Luna  
Luna & Luna*

*Pro de  
p. d. d.*

idemque est, qui in re medica sanitatem & salubritatem cunctis præstiterit, & qui peræquè morbis medeatur omnibus: ita vnus idemq; rex & iudex, quî non sit etiam vnuerfis? Nam quantò magistratus iura à populo magis restringuntur, tantò de populi ipsius decedit plus dignitate. Sicut namq; in humano corpore membra caput vnum gubernauerit: sic rex omnia scienter disposuerit suo, & non alieno arbitratu: hic quippè maximè de agendis, vel obmittendis cogitat rebus; ambigua explicat, deliberata confirmat, decreta fert, bono exemplo præit, populum instruit, & à cūctis iniuriis tuetur & defendit. Reges namq; omnes non ad otium, sed ad negotium: non ad voluptatem, sed ad omnem honestatem: non ad otiosè triumphandum, sed ad laboriosius gubernandum, diuinitùs constituuntur. Qui si fortè tandem suo non rectè defunguntur officio, nemo miretur; si ad sua à quibus est principijs orta, redit Respublica: & si democratia in olygarchiam, hæc degenerat in regnum; quo corrupto, rursus ad olygarchiam, vel democratiam reuertitur; & denique, posteaquam incommoda olygarchiæ senserit, aliquando in monarchiæ transit extremum, vt ab olygarchia vindicet & ponat se in libertatem. Sex enim causæ mutationis Reipub. plerumque numerantur: primum, gentium & nationum, tam internarum quàm externarum, contemptum: alteram concupiscentiam bonorum alienorum: tertiam

in 4  
f. 130

in a  
bell  
spe

tertiam desiderium appetituum explendorum : quartam contemptum legum : quintam potentiaë abusum : sextam penuriam, qui salutaria cõsilia præstent amicorum. De qua pulchrè alicubi in suis Epistolis Plato: Miser, inquit, pereo, nullis fultus amicis. Et Salustius: Non exercitus, neque thesauros, præsidia, ait, esse regum & regnorum; sed copiam, qui fide & obsequio parentur amicorum. Iam verò, vt ad eundem illum reuertamur regem, certum est, nec rectè à puero, neque à pluribus Rempub. gubernari. Nam & diuinus ille Isaias vates, populo principibus pueris dandis, iræ Dei argumentum esse innuit: & olim Romani publicis supplicationibus decernendis, vnum illud maximè, ne rectoris pueros, quorum malus tutor regeret, habuissent, diuinitus precabantur. Quantum verò ad vnus & non plurium gubernacula spectat, ea quis dubitauerit regna non nisi vnum capere, & in pluribus nihil aut ad societatem fidum, aut ad perpetuitatem esse posse diuturnum? Fingamus enim animo, & vt liberæ sunt cogitationes nostræ, duos pari potestate duces, mentis acie in acie contemplemur: enimuerò ignorauerimus vel maximo coadunato exercitu, riualitate, vt ita dicam, inter duces orta, non minorem aliquam omnes manere calamitatem? Cùm enim ei, quæ vaga & volubilis fortuna dicitur dea, nihil magis subiectum sit, quàm belli gerendi ratio, & in hoc bello ipso pugnarum præliorumq; contentio.

*in alea  
belli ubi  
spes incerta vagat. et nascere etrua etc*

tentio. Quid ? simulatque manus conferenda fuerint, an illa, de qua diximus ducum discordia non incusserit metum animis militum & præfectorum ? an non mandatis obstiterit ipsorum etiam imperatorum, à quibus cum variè & multiplices eduntur voces, cum nunc hoc, nunc illud tumultuariè dicitur, & vix aliquis militum, vel sensu aurium illud assequitur ? an etiam certa & explorata ipsa non exciderit è manibus victoria; & ab hoste impressione facta, an equites, pedites, armati inermes, plaustra omnes non confuderint; sic vt semel ordinibus turbatis, fugamque capeffentibus militibus, receptui frustrà canatur ? Plures enim in fuga, quàm in acie pereunt: & ad stationes suas semel perculsi milites metu, rarò conueniunt. Quod non aliunde quidem vsu venit, quàm ab illa, cui vnus gubernatio præstiterit, pari plurium potestate. Etenim vt Deus vnus in cælo; sic rex in regno, & in exercitu fit imperator. Sed nec minora illa carcinomata fuerint Reipub. quàm eorum copia, qui non tam esse quàm videri voluerint. Inter enim multas alias regnorum regionumque pestes, illa quoq; haud parua est, quòd qui aliis æquales non sunt, nihilominus spectari volunt; & qui pares maiores, qui maiores adeò etiam supremi euadere concupiscunt. Nam in hac tanta morum, studiorum, & ingeniorum imparitate, honores & facultates regni; quæ sine offensione partiare ? & quomodo vna illa quæ anima regentium di-

tium dicitur, ratio cōstitit æquitatis? cū nemo quod ei datum fuerit contentus, nemo superiorem, nemo aded æqualem ferre voluerit; omnia sibi deberi, secus alijs putauerit: non medico & figulo, non opifice & architecto; sed tantū horum vnō Rempub. dixerit constare, aut verò constitisse: & cum denique manus inuidia oculi, eum non esse de corpore, pes affirmauerit manum, & nunc hoc illi, nunc membrum aduersetur alteri; sicut Doctor gentium in tertium vsq; cælum excitatus humo, alicubi differit non minus sapienter, quā etiam copiosè. Postremò quis non videat, quomodo Deus Opt. Max. hanc pulcherrimam orbis terræ machinam, ex partibus inæqualibus, adeoq; repugnantis sibi elementis, orbiumque agitationibus singulis construxerit; & ita quidem construxerit, vt ea congruenti sublata discordia, ipse mundus esset finiendus? Iam & optimus pro se quisque ciuis, imperantibus & subiectis, seruis & dominis, potentibus & egenis, robustis & imbecillis, patriam suam tanquam antiquissimam omnium matrem, non nouercam, non inuitus patitur gubernari; cū secus faciundo non aliud foret, quā bellum inferre cælo, aut cælum miscere velle inferno. Omnia quippè suo constant ordine, numero, pondereque certo, & tu quidem vltra terminum, qui concedit nulli, non properato. Verū enim verò paritatem in nobilitate, suffragiorum iura & consuetudines, mihi obiece-

ris tu.

N 3

*Pondere  
mensura  
numero  
Deus  
omnia  
fecit.*

ris tuas? Ægregias sanè, perinde ac si ista æqualitate a-  
liquid esset inæqualius. Quod etiam ipsum Deo philo-  
 sophorum placuit Aristoteli, tametsi, qui bonorum æ-  
 quationem ante illum prohibuerat Plato sapienter, vt  
 omnes fecerat quibus status probabatur popularis. Sed  
 si tamen nihilominus popularis gubernatio nihil est a-  
 liud, quàm summi æquatio imperij, quæro, num impe-  
 rium, an verò opes licuit magis æquasse? Nam diuitijs  
 pro se quisque vti potest liberè, imperio non æquè: ac  
 cùm opes magnæ, magnis vt plerumq; fit parentur arti-  
 bus, vna illa dijudicandi & discernendi res sapientia di-  
 uinitùs instillatur, cuius vt plerumque fit vulgus homi-  
 num expers habetur. Rectè enim alicubi Romanus il-  
 le sapiens: Quis, inquit, multitudini placuerit, cui pla-  
 cet virtus? quam nescio quis alter, rerum nouarum a-  
 uidam, & præteritarum immemorem, præsentium ve-  
 rò ingratam, scitè appellauit. Quo enim loco aut tem-  
 pore, qua gente & natione, multitudinis beneficiorum  
 gratus repertus est animus? qua memoria beneficiorum  
 etiam maximorum? Liceat mihi sacris vti hîc exemplis,  
 quantum uis licèt abundemus & profanis, quibus nescio  
 quomodo minùs humilis reddi censeatur vulgò oratio:  
 Recordamur, inquit, piscium, quos comedebamus in  
 Ægypto gratis, quos ipsos nihilominus emerāt magno;  
 & hoc tamen exprobrabant animo profus ingrato, &  
 rursus carniū, quibus satiabantur in Ægypto, facie-  
 bant men-

bant mentionem, obliquam seruibant, seruitutis. Quæ quoad quidem premebantur, fuerant cupidi admodum libertatis, mox in eã asserti contra Moysen exclamârunt: Quid? sepulchrané in Ægypto defuissent, vt in solitudinem ad moriendum nos educi oportuisset? Age perstemus in ijsdem exemplis sacris, propemodum etiam infinitis, quibus par fuerit credidisse magis certis, quàm aliquando disputasse de occultis. Quid? cum Gedeon de manu Madian populum Isrâel liberauisset, & Zebæ atque Salamana occidisset; nonné omnes & vnanimis sic ad eum verba fecerunt, & falsitatem suam eruçarunt? Dominare, inquit, tu nobis, & filius tuus, & posteritui vniuersi: & tamen non tam citò mortuus fuerat, quàm septuaginta eius filios repudiauerunt; nec vllum vel minimum præesse sibi permiserunt. Non enim æquè vnus & eiusdem semper promississe, & promissis fuerit stetisse. Iam & Dauide ad Deum conuerso Opt. Max. quid sanctius? quid videri poterat populo optatius? & tamen idem ille populus, exiguo interiecto tempore in eum cõspirauit. Quod vel in ipso Iesu, cuius nomen & numen formidabile est cunctis, fuit vidisse; què nullo non honore paulò antè affectum, in crucem postegerunt per omnes acerbissimos cruciatus. Paulò enim momento, ab vno ad aliud extremum labitur multitudo. Quæ cum in vna illa constans sit inconstantia, quis ad Reipub. formam temerè, imò tandem & monarchiam cur-

XB

an currat protinus euertendam? Equidem multa periculosa in Repub. esse video; sed haud scio, si periculosi-  
us aliquid mutatione animaduerto: & quis non intelli-  
 gat, quemadmodum in cantu & fidibus, ex vocibus in-  
 ter se dissimilibus, & tum acutis, tum grauibus, mode-  
 ratione quadam inter se confusis, pulcherrimam effici  
 harmoniam: sic ex summis & infimis, & inter hos me-  
 dijs interpositis, quasi quadam dissimilium conspirati-  
 one, certo haud dubiè modo statum congruere sibimet  
 ciuitatis? Varietate enim mundus, & dissimilium con-  
 gruentia hominum coetus pulcher apparet. Quod si o-  
 ptimates idcirco prætuleris regi, quod inter vnum &  
 multos paucorum siue optimatum status, veluti quod-  
 dam virtutis positum sit medium; is virtutem tanquam  
 rerum dominam, non in numeri, sed medio sciat collo-  
 cari rationis. Verùm quantumuis etiam licet ipsum re-  
 spicias numerum, vnitas quidem numeris non futura  
 inferior est alijs, quæ vel Platoni ipsi monarchiæ proba-  
 tur iniquiori. Qua infirmanda, quorsum illa dixit, quod  
 vnum qui summæ rei præesse sciat, difficillimum sit in-  
 uenire, quasi eadem illa difficultas non sit etiam in plu-  
 ribus? Si enim bonos cæsares omnes in articulis parui di-  
gesti numerari posse, nescio quis affirmauerat; quanto  
optimates futuros pauciores, quos ex infima aliquan-  
 do forte ad summam euectos, in rebus tenuisse modum,  
 est difficillimum? Minus enim commodè prosperam  
 quam

quàm aduersam ferre est fortunam: & denique quod in optimatum & populari statu, vt plerumque fit, numerantur non ponderantur sententiæ; secus in gubernatione omnium principe, & magistra monarchia: in qua non docti, sed imbuti, non in Lyceo perceptam, sed cælitus haustam disciplinam, à memoria extrema extremi terrarum populi, sartam tectamque; vniuersi conseruarunt. Sic vt Perseæ & Ægyptij, tanquam numina quædam reges coluerint suos, & Galli, Poloni, Bohemi, Sueci, atque Dani magnoperè obseruarint. Neque tamen ego is sum, qui omnia omnium principum dicta & facta peræquè laudauero, & qui non intelligam, quàm longè à perfectione magnorum operum, multi eorum abesse soliti sint & fuerint. Etenim vt hinc tantum ordiar, an cum alijs multis corporis, tum maximè regibus eorumque filijs non defuerint vires, ob immensas opes, & libertatem explendæ cupiditatis? lasciua enim, & immoderata iuuentute, rerum gerendarum administra destituit nos valetudo. Qui iidem aliquando etiam reges consuetudine imperandi, plus quàm par est sunt obstinati: & quod non per omnia omnium honorum gradiuntur culmina, non peræquè vt alij habent omnia explorata: ad voluptatem, quàm ad veritatem magis loquentes, libentius audiunt: appetitui parent: rationem posthabent: luxuria diffuunt: abdomini seruiunt: prædam denique; avaritiæ, non instrumenta liberalitatis pecuniam

Regis  
vicia

cuniam esse arbitrantur; sic vt ne mutatio quidem con-  
 filij, aut salus ipsa eos saluauerit. Ex quo infamia illos  
 interitus manet populos: & quidquid intriuerint reges,  
 id eorum exedunt aliquando fideles. Veruntamen vt-  
 cunque tandem fuerit, si per Nabuchodonosor, quem  
 seruum suum appellat, poenas exegerit Deus Opt. Max.  
 quid & nos ab eius similibus non idem tolleremus? Si  
 à recta aberrauimus via, proculdubio cupit vt ad eum  
 reuertamur: sin secus, patienter ferendo cuncta expe-  
 dit proficiamus. Querelæ verò quis ibi locus, vbi vir-  
 tutis exercendæ & exerendæ datur campus? & an illud  
 debet esse odio, per quod felicitatis æternæ datur oc-  
 casio? & an deniq; in homine, quoad vixerit potest esse  
 perfectio? & qui cum omnium, tum maximè principum  
 non commiseremur conditioni, quorum aliena do-  
 mus, vigilijs, labore, otium, delitiæ fastidio, vacationes  
 occupatione continentur; vt non secus ac Atlantis cæ-  
 lum, eorum humeris Respub. sustineatur? Quæ cum i-  
 ta sint semperq; fuerint, & cum omnia ea quibus premi-  
 mur aut etiam subleuemur, diuinitus profiscantur, e-  
 ritné qui eorum non damnauerit animum, qui reges  
 atque principes in administratione publica impediunt?  
 qui ijs negotium non necessariò faceffunt? qui tumul-  
 tus in eos mouent in suam & aliorum perniciem? Enim-  
 verò, si his similibusq; malis perijt olim Græcia, hodie  
 non concidat regnum aut prouincia? Et si libertate  
 concio-

C. x. p. h. a. e.  
 p. h. i.  
 d. v. s. e. m. f. e.  
 n. e. l. i. t. y.

106

concionum, & seditione populi Græcis ruere fuerat fa-  
 tale; hodie aliquibus idem sit salutare? Equidem tale  
 hic quale aliquando alibi video principium, utinam non  
 exitium, quamtumvis licet spes alat, Deus faxit, ut sal-  
 tem non fallat nos derepentè. Nam cum non destitue-  
 rit moribundos, quâ destituat furibundos, aut dulci fortu-  
 na inebriatos? Sed vnum illud interim sit certum, quod  
 ab vno vnitas, & ab æqualitate proficiscitur inæqualitas:  
 & quod alij ad imperium, alij ad seruiendum procrean-  
 tur. Iam verò si metuitur tyrannus, qui nō metuatur eo-  
 rum multitudo? & si morem gerere seruile videatur re-  
 gibus; quâ non & parentibus? quibus ratio dicat, natu-  
 ra docet, experientia monstrat, necessariò esse paren-  
 dum; cum & Sibylla in vno rege salutem esse testifice-  
 tur. Quo magis, quorsum hæc inæqualis fuerit æquali-  
 tas? quorsum inimico eruas oculum, ut ipse amittas iu-  
 gulum? & stultum imittere turdulum, qui sibi ipse ca-  
 cat exitium? Nouitatum delectat initium, sed princi-  
 pio non semper corresponderit extremum, medium au-  
 tem ferire omnium est difficillimum. Qui benè sedet,  
 locum non mutet: qui valet, medicum non curet: & cu-  
 ius aqua restinguitur sitis, aurum non desideret: alta, ru-  
 inam; temerarij aulus, temerarios exitus; leuitatem, o-  
 dium & contemptus; perfidiam, supplicium comitatur:  
 & veste, quæ ex duabus contexta fuerit, uti populum di-  
 uinitus vetatur.

NB

\*  
 p. 107  
 p. 107  
 3  
 3  
 3

Paral. VIA REGIA MAGIS  
 sum. compendiarie.

in au-  
 S mo-  
 ves: sit  
 cupit  
 vult  
 veri-  
 tatem.

**G**Ræcorum sermonibus, tritum vetus est Prouer-  
 bium: Eos qui citharedi esse non poterant, fa-  
 ctos auledos fuisse. Quod haud scio an moribus, tem-  
 poribusq; præsentibus adaptari posse non videatur. Ete-  
 nim qui virtutis & ingenij gloria, æquari alijs minùs ali-  
 quando potuerunt, partim ad indignas, partim ad per-  
 nitiosas res, adiecerunt animum; vt non multò aliter,  
 quàm Herostratus ille Dianæ templo succenso, fortè  
 inclaruissent. Quidam enim, non secùs ac Pontius Pi-  
 latus in Apostolicum Symbolum, memoria annalium,  
 nec opinantes inferuntur. Et quidem laudis cupiditas  
 ingeneratur multis; sed dispar vel nonnunquam studi-  
 um est dignitatis. Quam etiam appetunt tantò vehemen-  
 tiùs, quantò vel ineptiarum suarum, plures sortiuntur  
 non solùm præcones, verùm & admiratores. Vnus e-  
 nim qui insanierit, plures facit insanire. Quarum qui-  
 dem rerum vanitatumque omnium, cum passim & vbi-  
 que magna sit, semperque fuerit copia; tum nimirum  
 aula & alta regum domicilia, quasi quædam perpetua  
 earum sunt diuersoria. Infima enim quietem, suprema  
 experiuntur tempestatem. Cum enim aulicorum vita,  
 vel inprimis ambitioni, atque omnis generis vanitati  
 sit obnoxia, populari aura, & verborum seu quodam le-  
 nocinio,

Restrahi, nonne quædam in vitis quæ ruit.  
 apud orat. uariatam.

nocinio, ac simulandi & dissimulandi artibus potissimum sustentatur; adeò vt hic vnus sapere, & aliis multis gradibus superior velle videatur esse, qui eiusmodi artificio præ cæteris fuerit eruditus. Quod ab omni decore & veritate quàm alienum sit, quis ignorat? Qui namque à vero semel deflexerit, hic ad periurium quàm ad mendacium non difficilius adducitur: & quæ periurij, eadem & poena est falsitatis. Iam verò si sordidos & agrestes non iniuria dixeris, qui vt vendant aliquid carius, per Deum etiam & homines iurare non verentur: quid non magis inurbanos, imò & ipsos putes sacrilegos, qui nulla utilitate aut proposita spe, numine & nomine abutuntur diuinitatis? Omnia namque vitia foeda; sed in quibus nullum commodum aut voluptas sunt foedissima. Sed horum tamen tanta est copia, vt si qui moderatiores hac in parte reperiantur, repente sint despicatui, & adeò etiam odio habeantur. Quid ita inquires? Quia ista tota vitæ humanæ commoedia, si non tragoedia potius appellanda, vanitate quàm veritate magis constiterit, rarissimeque inuenias apud quem & res, & de rebus iudicium non corrumpatur. Est enim ignoratio scientiæ hostis, & falsitas veritatis. Age enim videamus, & quàm vbique, sed potissimum in aula multi eorum deprehenduntur, qui non tam virtute, quàm inuidia, non tam candore, quàm fucato ore, non tam veritate, quàm falsitate potius certauerint: & qui non

honestatis studio, aut concepta de aliquo opinione virtutis, sed aut commodi aut vtilitatis spe, aut metu alterius potentia, aut empti precio vel prece, amici fiunt; apud quos rursus vt turbinum, sic repentinam commutationem videas voluntatum: & prout aliquis vel augetur vel destituitur potentiorum gratia; ita istorum (si Deo placent) amicorum erga se fidem & firmitatem experitur. Vt enim aurum igni, sic temporibus amicitia probantur. Iam quot quantosque eius etiam generis intueare, qui non modò sua, sed & aliena terrent multos potentia, quanquam id ipsum plurimum habeat vanitatis: vt enim canes lupina pelle indutos; sic riseris & homines, aliorum alijs potentia insultantes. Quidem ipsi, si nominibus non compellentur magnificis: si verborum titulorumque non ornentur phaleris: si præclara sibi loquentes applaudentesque non audierint, nec aures quidem alicui præstiterint. Tanta est impotentia mentis, mendici assurgentis. Sed nec mirum id etiam aliquando. Etenim quàm vicissim magnorum reperias numerum, qui huius potentia metu, ante portas aliorum stant: ante diem ad alios veniunt: nutui eorum obediunt: & ceu dominos, vel potius tyrannos extimescunt: & id non tantum dominis, sed eorum etiam faciunt seruis, concomitantur, venerantur, ancillantur. Quod nec suffecerit ipsum, & quadam nescio qua felicitate, quàm nauitate opus magis habent.

Quis

Quis enim eis sponderit, vtra illarum factionum, quæ  
 in aula vigerè solent, autoritate, & regia plus valuerit  
 gratia, vel rectè diuinaverit rerum suarum optatum exitum,  
 eos esse sortituros? Sunt enim illæ factiones,  
 vt plerumque fit, cum ipsæ sibi infestæ, tum illis qui  
 contrariæ adhæserint infestissimæ; quæ non tam quid  
 Reipub. expediat spectant, quàm ob priuatarum rerum  
 studia, nunc hoc, nunc illud causantur. Fac ergo  
 prævalente vna, contrariæ factionis aliquis in aulam ve  
 niat, & sit fanè vir vt velit bonus, sit experiens, sit eru  
 ditus; an ab ea subito non oppugnabitur? an homo  
 nihili & ineptus non dicetur? an non irridebitur & sper  
 netur? Cum eadem illa rursus factio, adolescentulum  
 aliquem suarum artium atque partium mox effectum,  
 verbis ornauerit, honoribus auxerit, & vel nihili præ  
 stantem, curiosum sagacem, temerarium nauum appel  
 lauerit. Cuius rei causam si quæseris, aliam opinor vix  
 inueneris, quàm quod dixi in aula magis priuatam uti  
 lilitatem, quàm publicam spectant factiosi dignitatem:  
 & quæ regis gratiæ principem locum semel obtinuerit,  
 non tam curat, vt regi suus honos & patrium constet  
 decus; quàm vt benè sit amicis proximioribus, quibus  
 tanquam cupiditatum & magnificentiæ suæ admini  
 stris, pro re & occasione vtatur. Quo etiam fit, vt vir  
 tus gratiæ, ingenium pecuniæ, doctrina cesserit inscien  
 tiæ; & sine honore & præmio languescat industria, re  
 tardentur

tardentur studia, vilescat aula & eius frequentia: nullus denique ordo, nulla disciplina, nulla æquitas, nulla virtutis aut laboris ratio, & bonorum malorumq; sit partitio. Quo ipso aulæ & inferni, nescio cuius testimonio, magna est similitudo. Aula etenim atque infernus, perpetuis querelis quoad durauerint personabunt. In qua honorificum licet fuerit semper versari, non minus quidem illa magnorum virorum copia & præsentia honoratur: qui cum defuerint, fece & ineptijs cuncta replentur. Quibus malis repellendis, cordati quique & prudentes principes, frena iniiciunt eiusmodi factionibus, ne eorum potentia metu, secus quam aliquando facere par fuerit, venientes expectent, abeuntes comitentur, redeuntes venerentur, & interim patrocinijs eorum fiducia quod collibuerit faciant, vim imbecillis, iniuriam peregrinis, damnum afferant calamitosi. Nam si sapientissimorum hominum consilia sequenda sunt, ut nauem libratis ponderibus: sic Rempub. coæquatis, & intra officij septa constrictis factionibus, expedierit gubernare. Quanquam & illud quidem confitendum est, dandum aliquid etiam esse magistratibus, ut inuidia tela in illis tanquam in clipeo, quam in ipsis resideant potius principibus, & quæstiones ob pecuniam detentam, cancellarij ob iustitiam male administratam, quam ipsi magis accusentur. Sed interim tamen diligenter & tempestiue principibus dispiciantur.

spiciendum est, qui præficiendi sint magistratibus; neq;  
 curandum, vt propterea ingrati in aliquem dicantur  
 principes fuisse, quòd omnium consulendo saluti, pa-  
 rum satisfecerint, vt illis videtur, æquitati. Præstat nam-  
 que conqueri aliquandiu aliquos, quàm gemere ad om-  
 nem perpetuitatem vniuersos. Latebris animorum ni-  
 hil est reconditius: & non nemo, quæ occultauerat vi-  
 tia diu, animo & opibus auctus protulit tandem in a-  
 pertum. Omnis enim simulatio est difficilis, sed pro-  
bitatis difficillima. Quarum rerum acriori paulò cogi-  
 tatione tecum ipse limes peruelim veritatem, & num ti-  
 midum homicidam, inuidum stupidum, prodigum a-  
 uarum, tumidum abiectum aliquando futurum, non  
 merito suspicere. Quæ vt alicui videantur paradoxa, &  
 verbis inter se disiuncta, re & veritate ipsa ita habere se,  
 quæ non fateare? Quis enim dubitauerit, quod non vl-  
 la alia magis re, quàm perpetuo metu, tot ac tantorum  
 tyrannorum, nobilitata est crudelitas? & quod inuidus,  
 dum aliena felicitate cruciatur, sibi quàm alteri magis  
 nocuerit, ideoque etiam excors, & parui animi ac inge-  
 nij homo non iniuria putatur? Verissimum enim illud  
 est Poëtæ: Tormentum Siculi non inuenere tyranni  
inuidia maius. Quid porro? Prodigus cum dando e-  
gere ipse coeperit, an sicuti equus consumpto pabulo,  
non insidiatur alieno? tumidus verò, vt fortuna flante  
inflatur, sic reflante subito affligitur, & secundis rebus

amicis contumeliosus, aduersis etiam, inimicis rursus  
 supplex est & abiectus. Ad eò repentina harum rerum fit  
 commutatio: nihilq; faciliùs nos decipit, quàm hominis  
 frons & oratio. Vnde etiam soli illi considerati sunt & ha-  
 bentur reges, qui in intimam familiaritatem neminem  
 priùs admiserint, nisi penitioribus ipsius probè cogni-  
 tis & exploratis. Multa enim antequam feceris sine inui-  
 dia vitaueris, facta ægrè emendaueris: vt taceam arcana  
 imperij aut nulli, aut quàm paucissimis fidissimisq; esse  
 credenda. Per se enim vulgus hominum diuinatur mul-  
 ta; tantùm abest vt non diuulget etiam magis semel au-  
 dita. Sic vt aliquando Carolus V. Imperator, de Gran-  
 uellano Cancellario, in Augustanis Comitij conquestus sit,  
 quòd quæ in Belgio semel ei dixisset, Romæ sibi  
 scripta habuerit. Tum ille, quasi, inquit, ibi quoque si-  
 milia homines nescirent, & coniectura assequi, quæ nos  
 cogitauerimus, minùs possent, falsè respondit. Sed a-  
 ge progrediamur. Iam enim de prece & pretio, siue  
 nundinatione aulæ, aliquid etiam hoc loco dicamus;  
 cuius causa senator otio, quàm publico negotio, miles  
 vsura, quàm militum suorum præfectura, eques rastris,  
 quàm castris, potius delectatur. Id enim sequi, quo asse-  
 qui potuit nihil, haud dubiè poenituit nō neminem. In-  
 terim si vitiosus qui prece, quantò deterior qui pretio  
 comparatur magistratus? Nam quī non vendat, qui e-  
 merat? & quī nauiter impudens non sit, qui semel & i-  
 terum

terum pudicitiam prostituerit? Quid ego postremò de his eorumque loquar similibus, qui non tam suis, quam maiorum suorum tumentes meritis, omnia sibi deberi, semperque debita fuisse, in aula existimant? De quibus non insulsè quidam dixit, quòd falsa quadam de se persuasione, veluti dulcis alicuius vini potione, subito nec opinantes inebriantur: sic vt exiguò interiecto tempore, ex quo in aulam veniunt, naufragio patrimonij factò, deficiat eos æs, & malè succedant res, & tu qui hac in parte adulatus ipsis fueras, cum ijs pingua non amplius es, vt habet Prouerbiũ. Vera certè & solida nobilitas est ea, quæ virtute nobilitat nos nostra, non fama aliena. Vt quippè surdo soni, aratrum nauiganti, clauus nauticus ambulanti, nullo fuerit vsui: sic nec imagines, sine virtute maiorum, etiam vetustissimorum. Debetur sanè hæreditatæ multum nobilitati; & fortes creati fortibus ac magnanimis certissimum est: & cum senatus à senibus sit dictus, illustrandus est quàm maximè claris, & ad omnem posteritatem consiliarijs memorandis. Regna enim viris, non illi hoc vel illo natiuo solo decorantur. Vnde & ille, cuias esset quæsitus, non Græcum aut barbarum, sed respondit se esse mundanum; quòd totum orbem terrarum, vnã apud se vrbe iudicauerint semper fortes & sapientes. Vt libet ergo genus tuum iactes, auro niteas, gemmis resplendeas, spumantes equos, preciosa ephippia, phaleras, & id genus


locus  
à Simil.

alia habeas, si ingenuo & liberaliter educato viro dignum habueris nihil, nã haud ego ornamenta multa fœdo & distorto corpori, vel tantillum dicam attulisse venustatis. Nec non laudabo illam legem semper, quæ ne quis, quod à maioribus accepisset, diuendere possit, cauebatur. Quotus enim quisque est, qui sua benè uti sciatre, quod maximè expedit Reipublicæ? & quotus athletæ, nautæ, architecti, aut similibus fuerit filius, qui paternæ in arte excellentiæ perfectionem potuerit adipisci? Quò minùs etiam est mirandum, si in magnis illustribusque familijs idem eueniat, & non vbiq; & semper paternæ virtutis præstantiam posteris æquè referunt aut æmulantur. Nam paternarum virtutum, vt rurius hæreditas non perinde propagatur; sæpiusque degeneres nepotes, quàm atavis, auis, & parentibus, per similes filios licuit cognouisse. Nihil enim perpetuò floret, & iuuenis à senibus plerumque abhorret. Quid, quod & plures, aliquando legimus, ortus sui obscura initia, præclare factis admodum illustrasse, & nomen familiæ clarum ad posteros transmisisse? Quorum virtutem imitandam, quàm aliorum luxuriam admirandam potiùs arbitremur. Ineptiæ enim triduo, vna illa virtus æuo durauerit sempiterno. Sic olim P. Scipio Africani: sic M. Tullius patris patriæ appellationem tulit: sic nunc Græcus, nunc Latinus ille ciuis, laudes & statuas à suis ciuibus ob virtutem sibi positas, non rarò reportauit.

Peruelim

Peruelim autem ex aduerso consideremus, quàm ineptum ac penè ridiculum illud sit, solos illos præstantes viros ac elegantiores putare aulicos, qui gesticulationes duntaxat quasdam, quæ nescio cui voluptati, quàm dignitati aut necessitati magis inferuiunt, didicerint; vt cum nutus dominorum acrius obseruare, cum æquales subfannare, cum anteambulonem se præstare nauum sciuerint, cum poplitem inflectere, denudare caput, choreas ducere, & similia videbuntur nosse; non modò dicantur præstantiores, verùm etiam opibus euadant alijs auctiores. Quod quando tandem euenire solet, an vulgus tanquam magnus quidam magister, non præcipuum inde argumentum prudentiæ ipsorum capit? an eos non dilaudat? an non deprædicat? an non digniores, qui in cõpetitione alios vicerint, confitetur? cum tamen de his eorumq; æqualibus, quod olim de Catone, iure aliquando dicatur, Non præturam Catoni, sed Catonem præturæ esse negatum. Plus enim in eo positum Reipub. est, vt idonei homines dignitatibus, quàm sine delectu hominibus dignitates in ea exquirantur. Hi turpant, illi ornant loca: hi dedecus & infamiam, illi Reipub. quendam seu splendorem conciliant & maiestatem. Ac breuiter, si is qui digno dederit, non tam dedisse, quàm accepisse videatur beneficium; satis persuasum esse debet, secus si acciderit, non alia magis re, quàm hac præpostera honorum & munerum distributione

ms.
 tione detrahi Reipub. Sicuti enim humana corpora cibo, sic suo virtus sustentatur præmio: & ex hominum societate virtutis splendorem, non aliud est, quàm è mundo solem, vt ita dicam, euulsisse. Quo magis nunquam omninò falsitate, sed potius veritate semper tibi commodisq; velificatus fueris in aula tuis, & regia infestas via potius quàm per viarum eas compendia. Nam non temerè & illud nescio cui Cæsari fuerat dictum, ne incertam & breuiorem, quàm tritam longiorem viam, & ob caducam qua frueretur, præ illa quam tandem speraret, æternam contemneret vitam beatam. Multa enim sunt fallacia quæ audimus, magis certa quæ experiundo ipsi cognouimus, & de quibus alios, scopulos præteruecti, rursus monemus. Opes regum, amici fidi, & omnis honos debetur virtuti, quem non tam expedit vt petamus, quàm vt ne etiam oblatum propter ignauitiam refugiamus, & imposito respondeamus. Nam rectè cuidam petenti magistratum, Romanus ille respondit Imperator, munera non peti, sed solere ijs qui ea merentur concedi: multis enim ornandis sæpe ipsis detractum est ornamentis; sic, vt imperio digni quidam fuissent, nisi imperassent. Quo loco memorabile memorabilis Iustini Constantinopolitani Cæsaris factum, seu exemplum referre fuerit operæpretium. Præcesserant, inquit Historicus, clamores pauperum, à potenti-  


 bus oppressorum, pro quibus, cum Imperator sæpius rescripsisse

scripſiſſet, ſed nihil profeciſſet, violento intellexit opus eſſe remedio, nempe vt vno ex ſublimioribus magiſtratus poenam dante, reliqui diſcerent aduerſus iuſtitiam, nihil eſſe tentandum: ſi enim quod quiſque potentiorum vellet faceret; etiam & inferiores tandem ad eorum obtinenda potentioribus fortè obſtarent. Ægrotabat Imperator ille crebriùs, ac vertigine capitis maximoperè vexabatur; ſic, vt cùm longiùs progredi minimè potuiſſet, potentes quidam, quod ad Imperatorem querelæ de iſtis adferri non poterant, nemini parcetes facultates diripuerint permultorum. Verùm cùm tandem aliquando Imperator recolligiſſet, atque in turbam dedidiſſet ſe, ij qui iniuriam paſſi, & malè habità à potentioribus fuerant, opem & miſericordiam iſtius audiente vniuerſo populo ſupplices implorârunt. Quo euenit, vt Imperator conuocatis in curiam omnibus, in hanc ſententiam verba apud eos feciſſet: Perſuaſum, inquit, apud me habebam, vos ex æquo omnes pietatem colere, veſtrisq; contenti rebus, nemini egenorum iniuriam facere conſueuiſſe: at vos & Deo, & Imperatori veſtro aduerſa facinora paſſim & vbiq; perpetratis; ſic vt neceſſariò mihi veniatis admonendi, vt pauperibus vltro eorum reddere, quàm vos, veſtrasq; facultates potiùs velitis adducere in diſcrimè. His quidem auditis, nihilò de priſtina conſuetudine ad ſe omnia rapiendi, & quod collibuſſet agendi, potentiores remiſerunt.

remiserunt. Acres enim inueterati moris sunt impetus,  
 & aliquando vehementior natura ipsa est consuetudo.  
 Itaque cum denuo egressus fuisset Cæsar, omnia pau-  
 perum querelis & lamentis personabant. Quibus ille  
 commotus: Si me, inquit, diuino nutu & potestate Im-  
 peratorem creatum, eiusque auxilio fretum vobis impe-  
 rare arbitramini; parere iustis meis mandatis, vi paupe-  
 res non amplius persequi, iniuriam facere nemini, con-  
 stitutum apud vos habeatis: si verò per fas & nefas ali-  
 ena rapere, & non mihi iusta imperanti, sed vestris per-  
 uersis cupiditatibus morem gerere vultis; alium vobis  
 eligite, qui vobis vestrisque istis factis blandiatur: mihi  
 quidem contumacibus, & iniustis, & aliena ad se rapi-  
 entibus, nec fas, nec libitum est præfuisse. Conticue-  
 rant omnes, & coniectis in Cæsarem oculis, quid vel il-  
 le, vel alij dicerent, expectabant; cum subito quidam il-  
 lorum qui astabant procerum, potestate dicendi impe-  
 trata, ad hunc Cæsari modum est locutus. Constitue,  
 inquit, si libet, vrbis præfectum me, & ne cuiusquam  
 potioem iustitia rationem habeam, imperato: intra  
 mensem ne vlla, vel minima aut illata, vel accepta iniu-  
 ria sit, recipio me effecturum; aut verò poenas capite  
 luam, si prolata culpa fuerit aliqua, quæ mihi indicata,  
 & à me non fuerit punita. Gausus ea pollicitatione est  
 Cæsar, & cum eum præfectum vrbis constituisset, vt om-  
 nes audientes dicto essent, seuerè imperauit. Insequen-  
 ti ergo



J.B.
 gia veritatis via; & potentiorum nequitia dissimulan-  
 ter ferenda, abitur in auia falsitatis. Nam qui magistra-  
 tus aut auro corrumpitur, aut quauis alia de causa sce-  
 lera impunè abire patitur; hic quidem non alios, sed  
 iam ipsum se turpitudinis, & audaciæ omnis confitea-  
 tur auctorem. Multi figunt & refigunt in speciem le-  
 ges, sed multò consultius facerent, si nullas condidif-  
 sent. Nam sanctiones simul & semel plures latæ, & nul-  
 li debitæ executioni demandatæ, tandem vilescunt.  
 Quæ omnia ad vnã illam regiam pertinent viam, qua  
 & magistratus insistere, & illum eligere reges discant,  
 cum nulla alia magis re, quàm scienter & consideratè  
 dando, dant sui in vulgus specimen intellectus. Et ta-  
 met si hanc vnã artium omnium artem, præter Deum.  
 Opt. Max. nemo calleat exactiùs, tamen hæc etiam po-  
 tissimùm vna muneri incumbit regio, vt quantò qui-  
 dem potentia & dignitate sublimiores sunt reges, tan-  
 tò & prudentia sint clariores. Nihil enim amplitudo  
 maius, nihil natura eorum habuerit melius, quàm in  
 omnibus seruasse æquitatem. Cuius cum magna pars  
 veritate constet, nã illi, qui reges esse voluerint, verba &  
 promissa sua, reges suos fieri, non inuiti patientur. Cum  
 enim omnibus mendacium turpe, tum regibus & ma-  
 gistratibus ipsis est turpissimum. Quocirca etiam apud  
 Persarum olim Indorumque populos, qui mendacij ter-  
 conuinciebatur, silere per omnem vitam iuebatur, &  
 nullo

nullo munere, aut magistratu dignus amplius censebatur: tantò quippè nocentior est leuitas, quantò cum leuitate coniungitur sæpiùs malignitas, & ad hanc demùm accesserit authoritas. Hinc Gabaonitis (libet enim exempla, quoties se offerunt, præ alijs semper posuisse sacra) salutem quidem constat mendacium attulisse, sed eripuisse libertatem. Cùm enim iureiurando interposito, fore saluos ipsos Iosue promississet, gentem magis longinquam, quàm quæ terræ promissionis terminis concluderetur arbitratus, viuere quidem permisit, sed in seruitutem omnes & singulos promiscuè rededit: seruire siquidem mendacium est, & iugo seruitutis in superiorem editum coërceri potest. Nam qui mētitur, vt id tacitis cogitationibus non præ se ferat, maiorem se eo, cui illud effutit, occultò confitetur. Itaq; & apud Ægyptios illos, qui tot ac tanta monumenta antiquitatis habuerunt, singulis annis examinabantur ciues, qui qua arte vel artificio vitam sustentarent: qui verò interim mendacij conuincebatur ter, graui afficiebatur mulcta; vt pœna ad paucos, metus pertinuisset ad infinitos. Indulgentia enim legum homines licentiosi, seueritate animaduersionis efficiuntur moderati. Nos qua pœna, quo supplicio dignos reputauerimus eos, quos non annis, sed mensibus, non mensibus, sed diebus, imò & momentis singulis, non victus aut necessitatis alicuius causa, sed leuitatis animi gratia mentien-

tes intuemur? Erumpat, erumpat vox illa ex me libera, & dicam quod sentio, tantam videlicet istorum nunc esse copiam, & auctorem subsequutam; vt etiam turpiter mentiri, pulchrum esse, & fari, & facere, in prouerbij apud eos abierit consuetudinem. Quo quid turpitudinis, & quid minus conuenientiùs publicæ fuerit dignitati? Nam nec in virtutem turpitudinis, neque in vitium animum cadit laudatio; neque minus expedit, quàm assentatores, gnathones, parasitos, thraones, & id genus pestes in aula aluisse. Qui id quidem mendacio consequuntur suo, vt vera demùm etiam dicentibus fides amplius non habeatur. Qui tantò etiam fugiendi sunt atque erunt magis, quantò vehementiùs nunc hunc, nunc circumscriserint illum, & comparatis opibus, suam contra eos tuentur falsitatem. Quemadmodum namque prædones struendis viatoribus insidijs, excusos ab alijs prædonibus se grauitè conqueruntur: sic qui mendaces sunt, veraces præ cæteris videri magis concupiscunt. Hi ex incredibilibus probata, ex veris suspecta, ex claris ambigua, ex ignotis omnia faciunt si, bi explorata: vt si temperantem viderint regem, inurbanum; si frugi, tenacem; si liberalem, prodigum; si fortem, temerarium; si obstinatum, propositi tenacem, testificentur. Quibus nimirùm vocibus, tanquam quibusdam clauibus, partim ad indignas, partim ad perniciosas res, ipsos affigunt reges; vt aut effœminati atque molles,

molles, aut euadant tyranni & crudeles. Est namque ab vno illo, quod cuncti ferire volumus, medio, nunc in hanc, nunc in illam partem facilis delapsus. Sic olim Sardanapalus Assyrius nere; sic Heliogabalus Romanus ex scortis exercitium extruere; sic Alcibiades Græcus vltro pudicitiam prostituere; sic deniq; Nero Tyrannus in suos crudelitatem incepit exercere. Nihil enim tam fuerit sanctum, quod domestica regum pestis assentatores non corruperint. Quos nescio quis coruis peiores dixit esse; quod hi viuos, illi deuorarent mortuos. Et alter, quænam omnium pessima belua videretur, interrogatus: ex cicuribus adulatorem, ex feris respondit obretatorem semper fuisse. Et haud scio an iniuria. Vt enim Cyrceo poculo olim cum suis focijs Vlysses; sic multi hodiè principes adulatorum artificio, in varias formas transformantur. Quò etiam cordati oderunt eos magis, vtpotè cum falsis eorum laudationibus, tanquam quibusdam fascinationibus, vt ita dicam, animi deliquium patiantur. Miserius enim est mente, quàm ægrum esse corpore, & animi ac consilij subijci corruptelis. Hinc ergo Agesilao illi clarissimo, & prudentissimo Laconum regi, eorum vel maximè placuit consuetudo, qui non solum iucundi in sermone esse, verum etiam pro re & tempore contristari amicum scire, & discere voluissent. Semper enim ad voluptatem, & nunquam ad veritatem alicui loqui, muti canis instar salu-

tem heri, fuerit prodidisse. Hinc & Antigonus, ex Magni Alexandri successoribus vnus, cùm in venationibus in quandam cauponam, amissis comitibus, noctu diuertisset, & qualis esset, à rusticis liberè, vt fit, omnia proferentibus, audiussset; chlamidem regiam cum illuxisset, sibi allatam accipere recusauit; quòd quàm diu ea induebatur, nunquam audierat quàm vna illa nocte veritatem. Hinc & Octavius Cæsar, adulatores & parasitos omnes odio maximo habuit: & Seuerus ex aula sua eiecit: & nescio quis alter in Pontum Euxinum naues histrionum tres, duobus sapientibus pro ijs postulantibus, relegauit. Et denique Tyberius Imperator ipse, domini appellationem, tanquam maledictum aliquod exhorruit. Qui enim blandia semper audire didicerit, hic & vera etiam, seruaq; sibi loquentibus, vix aures præstiterit aliquando. Multò autem vtiliores fidi & asperi sunt monitores, quàm fallaces & blandi adulatores. Neq; tamen ego is sum, qui sicuti arcum, sic & regium animum, dixerim assidue debere esse tensum, atque negotijs perpetuò intentum. Relaxari animis, & dare se vel nonnunquam profuit iucunditati. Ac sicuti quidem in exercitibus duces, & in ciuitatibus rectores, quædam opportunè fingentes, ciuibus salutem attulerunt suis; sic & summi non iniuria id fecerint magistratus: commoda enim iucundaq; semper rerum & temporum occurrit nobis vicissitudo. Sit tamen eius, qui  
conditi-

conditione est inferior, dispar ratio erga superiorem. Verba enim regibus dare voluisse, aut ioco & simulandi imposuisse artificio, nūquam quod ego quidem meminero, caruit periculo, & animi anxietate. Vt enim principes aliqui, dulci fortuna inebriati, aliquando etiam insolescant, eos certe, qui circa se proximè versantur, non inuiti audiunt dici & haberi moderatos; & semper est tutius via regia, de qua dicimus, grassari, & veritate colenda in vulgus commendari. Etenim, quid & Pompeio dicto Magno, ad immortalitatem olim magis profuit nominis, quàm quod nec ipse quidem vnquam mentiebatur, nec alium mentientem patiebatur? Quod idem de Epaminunda Græco, Antoninoq; & Alexandro Romano, ac deniq; de Hor & Theona Abbatibus, fide scriptores dignissimi, memoriæ prodiderunt. Duabus enim rebus Deo Opt. Max. similes reddimur, benè faciundo hominibus, & colenda cum iustitia veritate. Vnde olim Plato nefas aiebat esse, eo ore, quo ad Deum preces fuderis, proferre falsitatem. Bonus enim cuius, idem ille inquit, non est, qui sciat aut adulari velit; cum omnia ea, quæ contra animi dicuntur sententiam, dolo & fraude non caruerint. Neque tamen vbique & semper sic veritatem dixeris, vt quodammodo intempestiua, & insolens habeatur. Multa enim non suo loco dicta, aut suspecta, aut certè sunt submolesta. Scitè quidam Patrum, aquæ, quam vulgò benedictam vocant,

gant, veritatem afsimulauit; qua leuiter asperfi, gratias agimus; si autem ab ea madidi efficiamur, etiam vehementius ad iracundiam prouocamur. Vt enim non qualibet medica potio, medicamen est ventris: sic nec omne aptum tempus, aut etiam locus, proclamandæ veritatis. Quæ cum ita sint, & cum non alia via, quàm vna illa regia, maximè sit compendiaria, & nunquam tutè tibi, commodisque tuis velificatus fueris contraria. Sit quidem aula expoliendorum ingeniorum officina, sit virtutis altrix, sit decus & domicilium honestatis: longè verò ab ea absit inuidentia, absit æmulatio, absit conuitiandi studium & obtrectatio. Non deniq; hostis sit temporis, non studiorum iactura, non nouæ seges & materia tempestatis; postremò non mater mendacij, non vitiorum alumna, non deprauatæ educationis altrix & inuentrix habeatur. Quis enim præsentia & commutabilia temporum & fortunæ munera, cum rectè factorum commutauerit conscientia? quis cum ea qua absentes præsentem esse, mortui viuere, & quasi in cælum videmur ascendere, comparauerit gloria? quis imperitæ multitudinis vocibus, recta bonorum non anteposuerit iudicia? & quis deniq; dubitauerit ad principum aucupandam gratiam, ad opes & diuitias consequendas, multò plus veritatem, quàm aliquando valere mendacia? Det fructus simulatio suos, & necessaria dissimulatio: pulchrum alicubi mentiri habeatur.

Enimuerò

Locus  
pulcher  
& simil.

\*

Steph  
loci a,  
de re

Locus  
veri  
tatis

Enim uerò nos præterierit ingenuitate & candore nihil esse præstantius; & quos nec auro cogere, nec ferro possis subigere, fide atque candore amicos comparari? Vna, vna illa est veritas, alterum Thesei ut est in fabulis filium, ad implicitos huius vitæ errores facillimè explicandos. Hæc vna altissimis defixa radicibus, nullo dimouetur loco, nullo consumitur æuo, nullo subruitur artificio. Hanc qui sequitur ducem, & portum quem quæserit faciliùs capiet, & rebus optatis potietur, & securiùs ijs fruetur. Hæc lux vna actionum est humanarum: hæc Cynosura in hoc pelago mundi nauigantium: hæc potissima custos iustitiæ: hæc firmamentum aula: hæc decus & præsidium est Reipublicæ. Contra hanc profus nihil valuerit: hæc vel in medijs tenebris luxerit, domi & foris claruerit; premetur, sed nunquam opprimetur; fluctuabit, sed non submergetur. Huius contrarij doctores & magistri, ferè semper sordidati, & adhuc marcescunt viui: pro gratia, odium; pro laude, vituperium; pro præmio, interitum, retulerint sempiternum.

*Stylus vnde dicitur in his elegis vnde dicitur.*

## HONORIS ET GLORIAE AMBITIO,

*sui ipsius est obliuio.*

**Q**ui tot regnorum & prouinciarum clades referunt, has vel potissimum causas tres earum enumerant:

R

merant:

*Stylus  
proclama.*

*Laus  
vni  
tatis*

*Parad.  
6<sup>um</sup>*

*In am-  
bitiosos*

fol. 98.

merant : ambitionem, luxuriam, & auaritiam ; ad eò vt  
 quantò quidem vitij magis virtus præstiterit, tantò re-  
 liqua omnia vitia, virtutis licet dicatur simia, vna ambi-  
 tio vulgò anteat. Quæ quoniam ex ignorantia no-  
 ftri, vt plerumque fit, oritur; danda est opera, vt quòd  
 Apollo Pytius oraculo ediderat, nos ipsos noscamus;  
 & cognoscendo, id quod alijs etiam à nobis debetur,  
 concedamus. Pulchrum enim est, excellere voluisse in  
 multis multum; sed pluribus audientibus id de se pro-  
 fiteri vnum, auditu est permolestum. Quota enim quæ-  
 que res fuerit, in qua non modò homo hominem, sed  
 ipsos etiam homines non præcelluerint animantia?  
 Nam vt ab animo primùm corporeq; ordiamur; an in-  
 dustria apes, vulpes, elephantum, diuturnitate vitæ, cor-  
 ui, cerui, angues & anseres nobis non præstiterint? Si  
 verò patriam & eius diuitias intueamur; mundanos  
 profiteri nos, & hæc quæ appellamus bona, ludibria  
 potiùs fortunæ oportet nuncupare: nihil enim his in  
 rebus, ne dum diuturnum, sed nec fuerit stabile aut fir-  
 mum. Vsque eò humanæ vitæ, rerumque quæ in vita  
 sunt, omnium tenera & fragilis est conditio, & tempo-  
 rum ac fortunæ munera orbi cuidam, quem vocant fal-  
 tatorio semper subiacent. Iam verò si non modò vitia,  
 sed & virtutes ipsæ, non tam per se, quàm ex aliorum  
 magis cognoscuntur contentione, ecquis repertus vn-  
 quam est, qui omnibus, vt ita dicam, numeris & parti-  
 bus per-

asæ res longu  
 inu.

bus perfectus & absolutus videatur? Summa quippè se-  
 cuti, affecuti verò mediocria, vř plerumque fuerit, con-  
 tenti sumus, & perfectionem faciliùs laudamus quàm  
 æmulamur. Age enim videamus, quid in vnoquoque  
 magno & commemorabili viro, in omni ætate, gente,  
 natione, ordine desideratum sit & fuerit. Quid? An  
Hercules fortitudinis laudem non maximam meruit?  
 eundem tamen parum continentes habuisse manus, bo-  
 bus sibi ab eo ablati colonus conqueritur. Quid? So-  
crates, Apollinis oraculo omniù sapientissimus iudica-  
 tus, an ad libidinem nō maximopere fuit pronus? Plato  
 & Aristoteles, an non philosophorum principes, & qua-  
 si dii extiterunt, quos etiam sua constat habuisse vitia,  
 & quidem plura atque enormia? Vix enim est credibi-  
 le, hominem exui posse totum, antequam corpus istud  
 penitus exuatur. Taceo Catonem & Traianum, quan-  
 quam boni dicerentur, vtrumque vinosum. Alexan-  
drum Seuerum, quo Romæ integrior nemo, voracem,  
 & ambitiosum: Gordianos inter optimos relatos, plus  
 æquo fuisse delicatos. Semper enim natura, sua pen-  
 sat vitij munera, nec omni ex parte relinquit aliquid  
 absolutum. Demosthenem Oratorem Græcum, & M.  
Tullium Romanæ parentem eloquentiæ, tacitus præ-  
 tereo, quorum hic timidus & vanus; proditor patriæ il-  
 le, à quibusdam habebatur. Taceo Syllam & Marium,  
 bello claros, sed tyrannos: Cæsarem & Pompeium, sui

Ms.

Narratur  
 prius  
 Catonis  
 sed pl  
 in lro  
 caluisse  
 virtus.

seculi lumina; sed eosdem pestes & incendiarios patriæ suæ fuisse. Non enim alicuius gestæ res, tantoperè laudantur, quàm funera patriæ & eorum auctores diris uentur. Et quid denique profuerit celebrari hîc, & cruciari illîc, vnaque aut altera præstare virtute, & omni contaminari foeditate? Nulla in dolore voluptas, & virtutis ac turpitudinis est communitas. Quid? quo loco & eos habeas, qui tantùm splendore & magnificentia, nomen sibi quærunt; præceptis verò & institutis philosophiæ mens eorum est vacua, & qui iniurij quidem volunt esse nemini; sed rursus etiam nec à se neq; ab aliis propulsant iniurias? Par quippè vitæ, & quæ ei aliquando præfertur ratio sit dignitatis, & vt superiorem velle esse malis, sic commisereri iniuria expedierit affectis. Postremò quorsum commemorandis occuparer ijs, qui tantùm in labijs, non in pectore gesserint bonitatem? Ignobilis certè magister est, qui moribus docuerit suis præceptis non esse obtemperandum. Iam quot & quanti sunt, qui de contemptu mundi gloriæq; scripserunt, & eo ipso in mundo ditescere, ac celebrari passim magis etiam peroptarunt? Quòd si adèò viles apud se habuerunt opes; quotus tamen quisque fuerat, qui virtutis & ingenij sui gloriam æquè alijs concessisset? Quidam enim non inuiti possessionibus, sed secus laudibus spoliantur. Quod vel in vno illo Capistrano Monacho, sanctimonix & castitatis pleno, qui galerum

ab vno

malis  
Mgvr  
Societas

Gerardi

ab vno & altero Pontifice Maximo, semel iterumq; sibi oblatum repudiauit, olim vidisse, & contra Ioannem Huniadem belli ducem, victoriam ad Taurinum de Turcis relata, ad preces & vigilantiam suam referentem licuit cognouisse. Quid Pontanus Louinianus? vir sua ætate doctissimus? An Carolo Octauo Gallorum rege, in Italiam cum exercitu irruente, contra ipsos Arragorios reges, quorum præceptor fuerat Neapoli, victoriam gratulatus, prolixissimè non perorauit? vanam nescio quàm laudem, & falsam apud hostes gratiam fortè venatus. Quo, quid turpiùs aut indigniùs videbatur? Quò enim laurea victoris, eò conuersum fuerat os etiam oratoris. Quid verò etiam alij vndiquaque ornatissimi atque clarissimi? An sicuti hamo pisces, sic hac dulcedine gloriæ capti non sunt, & sublatiùs de ipsis se loqui, & sentire minimè dubitârunt? Nota quorundam illustrium virorum est historia, quam nescio quis olim ideò conscripsisse ferebatur, vt ipsum quoque se, quasi aliud agendo, in eam inseruisset. Quanquam ego nihil minus quàm tale aliquid, optimo illi viro, in mentem venisse, quò non potiùs existimem? Omnia enim in meliorem debemus interpretari partem, vt hinc multi contrariam amplectantur artem, propter immensam quandam conspiracyonem tuenda vanitate. Certum enim est, omnia alia faciliùs nos deserere vitia, vnã illam auaritiã & ambitionem ad tumulum comitari; sic, vt

*sic inerat  
sua victo  
inter in  
parato.*

*habeo  
titulus  
sepulchri  
ambrosii*

quidam, iam iam animam agens, Clementem VII. Pont. Max. petere non dubitauerit, in numerum cooptasset eum Cardinalium; vt vel tantum sepulchrum suum hoc nomine honestasset. Sed reliqua etiam videamus. Cum enim ambitio magnanimitati sit opposita, duo habet extrema, & aut honores virtuti debitos contemnit, eius vt par est ostendendæ occasionibus neglectis: aut vero appetit & confectatur nimis. In quo quodammodo superbiæ est similis; sed non tamen superbia ipsa, quæ nulla etiam excellentia comite, multa & magna sibi deberi arbitratur. Secus quidem ambitio fecerit, licet & huius præposterus ordo immoderatiùs honoribus desiderandis semper notatur. Sequendis enim ijs quibus cohonestemur, hæc potissimum considerantur tria. Primum quidem vt corpus umbra, sic honos sequitur virtutis excellentiam: qua qui præditus est, non à se, sed aliunde id habere oportet fateatur. Ac proinde, quidquid illud est quo excellit, acceptum ferat Deo Opt. Max. vt à quo maximè prouenit, eidem à mortalibus immortales gratiæ semper agantur & habeantur. Secundariò, quoniam virtutes omnes, vt vocant, gratiæ gratis sint datæ, ad vtilitatem publicam omnino sunt referendæ. Bonum enim virtutis, cum de se sit diffusum, communicatione constiterit sui, & nisi alijs profuerit, frustra honore ob illud sibi tributo aliquis delectatur. Terriò, quòd honor virtutis præmium dicitur est, non

*proferre*

*ambrosii*

est, non quòd quidem causa ipsius tantùm, virtuti sit adhaerendum, cùm non honor, sed ipsa naturalis felicitas eius sit præcipuum præmium; sed quòd ij qui virtutem ornant & ornare debent, non vllum aliud præmium inuenerint maius, quàm virtutis honorem, atq; honoris ipsius maiestatem. Quo magis constat, semperq; constabit, non generis nobilitate, non opibus, non magnificentia vlla; sed vna illa, viuaque virtute honorem consecrandum. Quid enim aliud nobilitatem iactare fuerit tuam, quàm obscuritatem despiciere alienam, & Deo Opt. Max. ortus nostri, & naturæ auctori, tacitò detrudere, quòd non cuncta singulis simul, sed omnia omnibus largiatur? Quid gloriari in diuitijs, quàm reponere spem in fortunæ ludibrijs, quæ nec cuiusquam firma, neque solida sunt bona, & quò magis te ijs applicueris, eò experieris amariora? Quid denique luxu est diffluere, quàm lumen animi extinguere; & quadrupedem, non hominem agere; nec tam vt viuas bibisse, quàm vixisse gratia combibendi? Viuant quidem mortales mortis semper memores, & cùm necessitas tulerit, etiam pro patria contemptores. Postremò, quod multi & magni faciunt, quid ineptijs vllis quærere est excellentiam, quàm exercere, vt ita dicam, histrionicam, & tempus ac oleum perdere vanitatibus addiscendis? Sed fac adedò vnum aliquem, re vel maximè necessaria excelluisse. An multis alijs rebus, non vicissim fuerit inferior?

sua  
sibi  
opis
 ferior? Dedit enim & fregit summus Magister panem,  
 & muneribus largiendis, vni sibi ille seruauit perfectio-  
 nem. Primùm igitur si scientiam spectes, maxima pars  
 eorum quæ scimus, minima est illorum quæ ignoramus,  
 & denique illud ipsum quod scimus, parum nos iuuat,  
 quod nesciuerimus, aut sciendo obmiserimus, procul-  
 dubiò semper condemnat. Si verò res abs te, aut alijs  
gestas intueare, quotus quisque fuerit, qui summis illis  
ducibus rectè se comparauerit? Postremò, si amplitu-  
dinem opum & possessionum videas, an non multos ti-  
 bi pares, imò & longè inuenias te superiores? Non diu  
 enim tument valdè inflati, & præ alijs maioribus fiunt  
culices, qui præ minoribus se videri volebant elephan-  
 ti. Sed hæc de scientia opibusq; suffecerint. Cùm ve-  
 rò in homine nihil magis quàm notentur vitia, tu qui e-  
 tiam vitiorum expers non es, nec esse potes, quid non  
 alijs potiùs commisereri, quàm habere velis eos despi-  
 catui? Spretis quidem alijs, te etiam contemptibilem  
 fore, non est quod dubitaueris. Quos quidem animi  
 morbos, cùm vna illa pariat ambitio, iure & meritò de-  
 testabilis fuerit, præsertim cùm non modò suæ, sed &  
 alienæ causa sit calamitatis. Liceat enim more meo ex-  
 emplis vti mihi sacris, maximèq; memorandis. Quid?  
 An Adam & Eua, parentes nostri primi, turpi & lubri-  
 ca ambitione ducti, & dæmonis suasu, quòd dii futuri  
 essent, incitati, de arbore boni & mali non comede-  
 runt; vt

runt, vt dum altum sapere voluissent, præcipites ad ima ruerent, & non cælituum, sed socij essent dæmoniorum? Quid? Lucifer supremus angelorum omnium, cum nimium sibi ipsi placuisset; an in Barathrum inferni non fuerat deturbatus, in quo cum socijs æternis flammis cruciatur? Est enim superbiæ & ambitionis poena adeò iusta; vt nec apud illud misericordiæ plenum Dei Opt. Max. tribunal, veniam meruerit, aut potuerit. Nam cum ab eo, qui bonorum author est omnium, omnia proficiscantur, impius ingratusque est, qui si quæ habuerit dona, ad se, quàm ad supremum illud numen potius retulerit diuinitatis. Dat cuncta cunctis Deus gratis, sed rursus aufert tandem ingratis. Age, quid alia quoque ex hac vna ambitione vitia, ceu ex fonte quodam riuulos emanatos referam? An enim qui ambitione flagrauerit, non perdet & dilargietur sua? qualem olim C. Cæsarem habuit Roma, qui muneribus, epulis, viscerationibus, attulit populo consuetudinem seruiendi: vt enim quod abliguriant ambitiosi habeant, in omnes sunt intenti occasiones potentia augenda. Vnde tandem fraudes, & alienæ libertatis oppressiones, in patriâ scelera, prodiones, & clandestina cum hostibus oriuntur consilia, cum ipsius Reipub. interitu. Vt enim quisque ambitiosior fuerit; sic desiderat magis in patria principatum. Sitis quippè in hydropico, & cupiditas in ambitioso nunquam expletur. Quod vel Alexandri Ma-

*in p. uelline.*

gni exemplo facile planū fuerit, qui à philosopho quodam  
 plures mundos reperiri audiens, quantum adhuc illi  
 superesset laboris, agonizans exclamauit: quasi quādam  
 necessitatem, vnus & alterius debellandi, impossi-  
 tam habuisset. Iam verò, quod ambitionis & auaritiæ  
 esset discrimen, nescio quis interrogatus: Auaritia hūc,  
manum ori admouebat; ambitio illūc, manum supra ca-  
 put eleuabat, fertur aliquando respondisse, & rectè.  
 Vastæ namq; cogitationes sunt ambitiosorum, nec quā,  
 sed quò eatur, contuentur. Itaq; cū & Pyrrhus Epi-  
 rotarum Rex, Italici belli varia & ancipiti cura distine-  
 retur, Cyneas Philosophus sic eum scribitur allocutus:  
 Scisné tu, inquit, ô Pyrrhe, quænam Romanorum sit  
 potentia? Magna quidem certè, sed fac tua etiam sit in-  
 ferior, potitus tandem quid feceris victoria? Hic cū  
 ille traiecturum in Siciliam, & reliquas Romani Imperij  
 prouincias occupaturum se respondisset: Benè habet,  
 inquit Cyneas: magnus est iste animus, magna molitio.  
 Verū & his demū peractis, quid denuò aggrediēre?  
 Quiescam, ait ille, & cum meo Cynea in medijs diebus  
 festis vitam traducam. At quid obstiterit, inquit Cyne-  
 as, quo minū hac eadem quiete etiamnum perfrua-  
 mur? Argutè perstrinxit ambitionis virus, quod initio  
 non cognitum, progressu temporis auctum, successi-  
 bus exaggeratum, cogit pectora mortalium; vt specio-  
 sa consilia amplecti, salutaria contemnere, prima fron-  
 te læ-

te lata, in recessu horrida quæq; & funesta soleant experiri. Non enim necessariò cœptis exitus semper responderit. Atq; huius quidem Cyneæ consilio, si Pyrrhus gerere morem olim aliquando voluisset, nec Argis ipse oppressus, neque orbis terrarum, ex eius ambitiosis consilijs, tot funeribus repletus fuisset. Verùm enim uerò torrentem faciliùs est sistere, quàm ambitiosi sitim vnquam explere. Velim enim quis consideret, quanto perè Mahometes ille, Turcarum Imperator, qui fulgur à suis dicebatur, ambitione excoecatus, ad fatalem properauit interitum. Nō duobus Constantinopolitano & Trapezuntino imperijs, non duodecim regnis, non triginta prouincijs, non ducentis vrbibus captis, contentus fuerat; quando Hydrunto in Italia expugnato, ad totius orbis & vrbis possessionem spe & cupiditate incensus, præter suam suorumque opinionem, subito expirauit. Vastæ namque mortalium sunt cogitationes, sed euentus præstare ipsarum, solius fuerit diuinitatis. Expedierit igitur, conditionis nostræ & illius dicti perpetuò meminisse: quod non vnus & eiusdem sit, semper tumultus sopire atque ordiri: & quod callida & turbulenta consilia, multis exitiosa, sed exitiosissima ipsimet sint auctori. Quod cùm in alijs, tùm vel potissimum in illo Sforzia Mediolanensium Duce fuit vidisse, qui arbitrum Italiæ diu multumque seipsum professus, tandem apud Gallos, quos in Italiam exciuerat, squa-

lore decennalis carceris est extinctus. Quid Amyralius  
 Franciæ? Quid Princeps Auriacæ? an ambitionis suæ  
 non dederunt poenas, & quidem horribiles, meritoque  
 alijs, qui ipsos imitabuntur metuendas? Claudi enim  
 pedes diuinæ vltionis, sed graues celeresque demum  
 non secus ac & occultatæ exurgunt veritatis. Ac de  
 Amyralio quidem illud ferunt, quod cum aliquando  
 contra regem suum ingentem exercitum duceret in ex-  
 peditionem, vtrò ipse multis narrabat audientibus,  
 quendam adolescentulo, quod pedibus in patibulo pen-  
 dere debuisset, fortè fortunâ prædixisse: Quam autem  
 verisimile illud fuerit, testata sunt tempora, quibus ipse  
 agere in crucem hostes, haud ita difficulter posset, &  
 tamen nihilominus regio iussu occissus, iisdem illis pe-  
 dibus extra Lutetiam in patibulo pendere est visus, &  
 quod incredibile erat viuo, euenit mortuo, cum absci-  
 sum à trunco caput, in Germaniam deportaretur. Hic  
 est videlicet ambitioforum finis, aut funis potiùs, quod  
 vel alijs quoque tam veteribus, quàm nouis planum fa-  
 cerem exemplis propemodum infinitis. Quid enim a-  
 liud, quàm callida & ambitiosa consilia Græciam olim  
 & Romam perdidit? quid Hungariam euertit? quid  
 Germaniam, Galliam, Angliam, Daniam, Sueciamque  
 funestauit? Ac de Hungaria quidem illud memorant,  
 quod ambitiosissimos habuerit ciues, quorum tandem  
 artibus partibusque scisis, ille eorum patriæ subsecutus  
 est laniam.

Amy  
ralis

pagina

est laniatus. Dum enim vnus alterius gressui anteire cupiebat, dum imbecilliori potentior vim intentabat, dum insidias struebat, dum opes & potentiam suam iactabat, dum operam externis venditabat; primùm quidem inter ciues ipsos ad crudelissima certamina, tandem ad vnus Turcæ immanissimum deuentum est dominatum, quo nihil est fueritque vnquam atrocius. Atque vtinam saltem Hungaricis terminis tantùm concludatur, & non multò etiam vlteriùs proferatur. Iam quidem nefariæ ambitiosorum artes, vel in Sepusijs ipsis patriæ parricidis facilè patuerint, quas specie recti & tutelæ libertatis quodammodo tegebant. Quærit namque ambitio prætextus honestos, & exitus habuerit inhonestissimos. Cui malo occurrendum vbique opinione etiam est maturiùs, nec tam mens alicuius num de patria malè mereri velit, spectanda, quàm facultas ne possit præcidenda. Nam & Athenis olim potentiorum ambitiosorumq; ciuium cupiditas frenari vix potuisset, si Ostracismus lex lata salutaris non fuisset. Quæ ad hunc modum seruabatur: Quadrata coctilis forma, quæ græcis Ostracismus appellatur, statim temporibus solebat ciuibus distribui, in qua nomen quod vnicuiq; placuisset licebat inscripsisse. Collectis verò cum nominum inscriptionibus formis coctilibus, si earum vel aliqua, sex millium numerum excedebat, is cuius in ostracismis crebriùs reperiatur nomen, citra omnem con-

*signific*

*ostracismi  
forma*

trouersiam agebatur in exilium, & vel hac via vna Respub. tyrannide prohibebatur. Vix enim est credibile, quàm occulto repat, & in aliena subitò irrepat ambitio; & quàm multi hoc vno vitio excœcati, sui planè dissimiles statim sint effecti. Non tam quippè Cyrceo poculo, quàm confidentia & amore sui cæco quàm plurimi immutantur. Quid obsecro Antigono? quid Lysymacho? quid Ptolæmeo? quid reliquis Magni Alexandri successoribus, benignius & ad gubernacula Respub. extitit accommodatiùs? Sed hi non tam citò fasces, & diadema regium sortiti sunt, quàm pro ratione, animi impotentia, furore pro consilio, temeritate pro fortitudine vti, minimè dubitarunt. Ab vno enim extremo ad aliud perfacilis lapsus, sed rarò monitorem aliquando rex est passus. Quo magis non ineptè quidã vt histriones vna die plures vestes: sic & principes obstinatos ac ambitiosos dixit mutasse consultores. Fortuna quippè rationem, & rex, vt dixi, non tulerit hortatorem. Sed obseruandum certè est, vt sicuti in herbis minimè fallacibus, quem fructum daturæ sint, maturè cognoscamus; sic & principum ingenia à naturali indole, quàm ab educatione magis metiamur. Multum namque educatio poterit, sed natura praua etiam dormita recurrerit. Quod cùm aliorum, tùm Alexandri Magni exemplo planum fiet, qui ab Aristotele institutus, vel proejectiori ætate fuit fatuus, præsertim temulentus.

Nihil

Nihil in eo præcepta institutaq; philosophiæ valuerunt, neque vt iuuentutis, sic & adultæ ætatis ambitionem frenauerunt. Nam vt puer num in stadio currere vellet interrogatus, non nisi cum regibus responderat: sic & moriens vno debellato, nouos mundos appetierat, & patri, quòd multa & magna gessisset, & sibi campum gloriæ præripuisset, inuiderat: quippè non modò alijs, sed & genitoribus vel nonnunquam proprium ambitioforum fuerit inuidisse. Quod vel recentioribus aded exemplis, si liceret aut deceret, probaretur. Quid Iulius Cæsar homo omnium qui fuerunt, sunt, & erunt, ambitiosissimus? an dominante adhuc Sulla, cum primùm pubesceret, populum Romanum non adiit? & sacerdotium vel maximum, Romæ fidenter non ambiuit? cùm inuidiosarum opum & præceps cupiditas dominandi, radices iam in eo egisset, & tragicus ille versiculus, crebrò ex ipsius ore exceptus fuisset: Si ius violandum esset, regnandi causa videri violandum. Natura quippè aliquorum semper vetita, & liberæ Reipub. in qua sunt nati, desiderat magis infesta. Sicuti ex huius ingenio Cæsaris licuit cognouisse. Etenim quod appetierat puer, obtinuit vir; & quod tener parturijt animus, peperit tandem adultus. Quo ipso demùm occiso, an verò non ambitiosos etiam credidisses successisse? Nihil profectò minùs. Nam quod re, & nomine Lepidus, forum repleuerat militibus, non tam Cæsaris vindicandæ

dicandæ causâ mortis, quàm suæ explendæ cupiditatis, videbatur id tentauisse. Sicuti enim quidam spectando furum supplicio, in furto deprehensi, & in crucem acti sunt & fuerunt: ita & ambitiosi cum alios occidi eius vidissent gratia, nihilominus tamen vel eodem vitio ipsi etiam laborarunt. Tam namque occultas vires, *vires vitus* virulne appellem nescio, cupiditas habuerit dominandi, vt non modò alios, sed & ipsos occidi, se nonnulli pati-antur. Quo loco Dionysij senioris exemplum, notatu est dignissimum, qui cum regni sui initio, à coniuratis obsideretur, amicique vt sese dederet, & regno quod possiderat potius renunciaret, priusquam mordicus illud tutatus, fortè occideretur, vehementius admonerent. Non fecero hoc, inquit, & simul bouem quem tum mastrauerat ostendit, ac dixit: Aspicite quàm repente expirauit: ego verò qui homo sum, tã breuis metu mortis, regnum amplum posthaberem? Quid Agripina, mater Neronis? an cuidam vati, qui Neronem, Imperatorem quidem futurum, sed eam occisurum prædixerat: Occidat, inquit, modò imperet, non responderat? Est quippè proferendæ aliquando vitæ studium minus, quàm retinendi, aut adipiscendi fuerit principatus. Age, quid de ijs eorumque similibus, qui nulla iniuria prouocati, nulla vi compulsi, nulla aliqua graui necessitate adacti, tantùm vt securius regnassent, sanguinis & necessitudinis violarunt iura, loquar? Nota sunt e-

sunt eius rei exempla fatis multa, sed à sacris potissimum ordiamur. Quid aliud Abimelech, vt septuaginta occideret fratres, magis cōpulsit quàm ambitio? quid Zambrem vt dominum suum interficeret? quid Sellum vt in Prophetam Zachariam conspiraret? Mitto alia, quæ penè sunt innumerabilia. Nam & Sennacherib Affyriorum Rex, à duobus filijs ambitione excœcatis, in templo occisus, & Simeon à duobus filijs ad cœnam vocatus, à Ptolæmeo Aiob filio crudelissimè est interfectus. Atque hæc ex sacris tantùm codicibus, vt aliquorum erronea fert opinio, citatu magis humilibus. Quid ex prophanis? Enimuerò ignoramus, nulla tam arcta sanguinis vincula, nulla necessitudinis fuisse iura, quæ ambitio non perruperit? Amor namque & dominatio non tulerint societatem diuturnam. Ac vt quidem exemplis, quæ penè sunt infinita talia non doceam; vt Romulum vrbis conditorem & fratris sui interfectorem sileam; vt Iustinianum Cæsarem qui patrum; vt Andronicum, qui Alexium pupillum; vt Constantinum Pogonottum, qui fratres germanos occiderat duos, tacitus prætereã. Quid hæc nostra pauloué superior ætas? quid parricidiorum mater, & omnis crudelitatis officina Turcia? parumnè testata est, quàm similium monstrorum fuerit feracissima? Dulcior namque & vehementior interdum suorum, quàm alienigenarum & externorum fortè est laniatus. Quo etiam magis obsepiendas vias

T

omnes

omnes censent hominibus cupidis & ambitiosis; qui tanquam putida quædam membra, à communione reliqui corporis consultò disgregantur, ne inficiant, ne adurant, ne denique serpent, & dimanent latius sua cupiditate dominandi. Et quisquam dubitabit, quantus olim populi Romani furor, quantum odium P. Cassij Romæ extiterat? cui expetiti dominatus magis obfuit suspicio, quàm triumphi duo, & tot tantæque res terra mariq; gestæ poterant profuisse; quem Senatus, quem populus non solùm occidendum, sed & cum domo ipsa stirpitus euellendum, iure putauit. Nefas quippè eorum ædificia pati extare, quibus publica funestantur. Quid? An olim Tiberij & Gracchorum Romæ non maxima fuit nobilitas? non eximia gloria? non summa quædam nominis & seminis amplitudo? Hi tamen, quod statum ciuitatis conuellere dicebantur voluisse, supremus humanæ conditionis honos, Gracchi filijs & Scipionis Africani nepotibus est, denegatus. Quid de Martino Filetro Duce, & de Francisco Balduino Patritio Veneto dixerò? Quid de tot tantisque alijs genere, & clientelis, opibusque florentissimis? An ob patefacta statim scelera, & clandestina cum hostibus consilia, Venetiarum Duci, atque item Patritio caput non fuerat amputatum, ea etiam lege lata, ne ex illorum familiaungeretur aliquis magistratu? Non enim licet, neque decet dare munera ijs, qui in patriæ suæ abutantur illis calamitatem.

lmitatem. Quapropter sapienter quidem, vt omnia, Græci Latiniq̄ue rectores populi faciebant illi, qui eos, in quibus vel minima aliqua experiti principatus suspicio apparuisset, seuerissimè puniebant. Sensim enim sine sensu repit primum ambitio, sed maximo cum doloris communis sensu tandem erumpit. Sic ergo Græci eos, qui præter morem magistratu diutiùs fungerentur, conspirationis; sic Romani, qui prouinciam vltro tradere recusabant alteri, reos censuerunt maiestatis: quippè multa multi, & sæpiùs petunt ima, vt mox mediocria, & tandem obtineant ipsa suprema. Testis eius rei Carolus in Gallia Marcellus, testis in Bohemia Georgius est Podebracius, testis & Ioannes in Hungaria dictus Coruinus, qui minus quàm mediocri genere & conditione orti, occasione arrepta, summis etiam vix fuerunt contenti: obliuiscitur quippè sui, qui nimium appetens est alieni. Quæ cum ita sint, & auræ quidem popularis studium adeò olim Romæ fuit suspectum atque etiam odiosum; vt quendam qui auram popularem captare voluerat, igne ex materia non arida excitato, Seuerus extinxerit Imperator, quòd diceret eum, qui fumum venditaret, fumo etiam debere interire. Sed hæc de ambitione dicta suffecerint. Cuius tamen non omnis condemnanda est ratio, & honorum dignitatisque contentio: vt enim virtus non sit, simia virtutis à quibusdam appellatur, & quidem cunctorum laborum

sup. ad

T 2

periculo-

in d. re  
d. r. u. a  
d. l. u. g. o  
c. p. n. i. e. m.  
b. o. z. c. h. y. l. y.

Coruinus  
familia  
in Polonia

sumy  
2. July

periculorumque nostrorum non alia maior merces fuerit, quam hæc vnica laudis & gloriæ; cuius cupiditas optimo & generosissimo pro se cuique plerumq; ingeneratur. Quæ & ipsa nihil habetur aliud, quam iudicium & vox bonorum, rectè de virtute existimantium. Quis ergo is qui virtute potitur, qui hoc vel vno ipsius præmio contentus non sit, quantumvis licet aliud nulum postea subsequatur? Virtus quippè vna, optima sui ipsius merces fuerit: & qui ea ornatur, quid aliud in bonis magis desiderauerit? Vt quidem umbra corpus, sic virtutem comitatur honos; sed ambientibus quàm refrigerantibus magis idem extitit onus. Qua in re non philosophorum tantum præceptis & institutis, verum etiam ipsius Christi Opt. Max. vita & exemplis oportet moueamur. Quid enim ille tam absolutus salutis nostræ author, quid morum & innocentiae Doctor, quàm vt conscientiae nostræ testimonio contenti simus, à nobis magis requirit? Quid aliud possit, quàm ne quid eorum quod nobis aut præsentis fructus ferat, aut commendationem vulgi pariat confectemur? Iam si huic vanæ & breui gloriolæ seruerimus, videndum est, ne summæ & æternæ possessione excidamus. Duarum civitatum ciuis, & mortalium cælituumq; nunquam possessio firma fuerit laudationis. Quo etiam libentiùs hoc vnico alijs placendi, & gratificandi studio nihil agamus: & siue dormierimus, siue euigelaerimus, ad illius tubæ, quæ

*in amona*

bæ, quæ nos mortuos ad tribunal euocabit Christi recordationem, non modò animo, sed corpore toto exhorrescamus. Iactationem thraſones, quæſtum cauponies, publica commoda ſibi propoſita habent ſapientes. Quorum fidei & bonitati, ſi aliorum quoque acceſſerit approbatio, id non inuiti ferant, Deo quæ in primis Opt. Max. hoc nomine gratias agant atque habeant: ſed ad vnum illum potiſſimum colliment ſcopum; vt in illis celebretur perpetuò is, qui omnium in omnibus eſt principium & finis, & qui gratuitum totius bonitatis ſe præſtat fontem atque authorem. Quo exemplo alij item excitati, ad omnem æternitatem ſemper & vbique idem ſequantur. Eſt enim omnium virtutum æmulatio bona, ſed pietatis optima. Quod videlicet ſtudium Deo Opt. Max. gratum, ab eodem quæ præceptum, omnibus denique & ſingulis probatum, nec non vbique & ſemper futurum eſt ſalutare. Sed viderimus ne interim reperiantur ij, qui hanc gloriæ non intelligentes viam, ingrediuntur aliam, & beatos eſſe ſe, quod vulgus hominum eos aliquando laudauerit arbitrantur. Vni illi ſapientes, veram & ſolidam pro ſe cuique dare poſſunt laudem & animi tranquillitatem. Improbis, nullus licet carnifex fuerit malefactorum conſcientia, etiam tuta extimeſcit: & quis carcer conſcientia terrior? quis mala affectione animi morſus vehementior? Non opes, non poſſeſſiones, non inertes aſſentatorum

*Lupus hanc  
hæc ſignificat  
hæc.*

*M.*

*ſignificat*

laudationes, sed præclare vel secus acta vita, plus vel minus hominem reddunt beatum. Quippè terminus vnius cuiusque vitæ, liberioris de eo censuræ, aut salutis aut mortis initium est sempiternæ. Ac videamus si libet certè, quàm multò etiam magis ad immortalitatem nominis & gloriæ, animi quibusdam profuerit moderatio, quàm ipsa ambitio. Traianus Imperator, maximis in Germania rebus gestis, cum sine pompa & triumpho Romam ingrederetur, an Caligula non fuit admirabilior, qui innumerabilibus copijs in Theutones ductis, non modò non cæso, sed nec viso hostium exercitu laureatus triumphavit? Quid? An Alexandri Seueri modestia non plus semper celebratur, quòd tum ob immaturam ætatem, tum etiam ob gesta titulo imparia patris patriæ appellationem sibi dari renuit; quàm Commodi Imperatoris ambitio, qui Romam de suo nomine Commodianam, & exercitus eius Commodianos, & deniq; diem qua hæc agebantur Commodianam appellavit? Quo aut huic simili modo, nescio cui regi Franciscus primus Franciæ Rex memoratur etiam illuisse. Quem cum multis & magnis in Epistola titulis ornantè se aspexisset, non nisi paruum Regem Franciæ vicissim scribi se imperavit. Non tam profectò tituli qui occidunt, non statuarum plumbo inhærentes, quæ vetustate consumuntur, non triumphorum folia, quæ arefcunt, quàm moderatus animus durat, & notatur triumphantis. Quò magis

Ms.

Ms.

Sicque  
Vercij.

*Panidoxa.*


151


magis honoris & gloriae ambitio, sui ipsius fuerit obli-  
 uio, quam alia vitia duo, luxus & auaritia, vt plerumq;  
 fit concomitantur. Quæ cùm capitalia sigillatim singu-  
 la, quantò gregatim capitaliora futura sunt vniuersa?  
O moratam fortunatamque Rempub. quæ talem pe-  
stem non viderit, ordinatam si agnouerit, beatam si eie-  
cerit. Sed finis sit. Neque enim malè ominari, multò  
 minùs libet alicui imprecari. Vnum ego illud à Chri-  
 stianis omnibus peto atque contendo, vt quorum ob  
 ambitionem ciuilemque, lugent interitum, discordiam,  
 - eorum mores & exempla vitent; & diuinam mise-  
 rationem toties experti, iracundiam ipsius pro-  
 uocare, & propter animaduersionis tar-  
 ditatem, lenitatem poenæ, nisi resi-  
puerint, nolint sperare.

F I N I S.


regis honore & gloria ambimus, sed quibus sit et illis  
 nos, quoniam alia vultis deo, quibus & vultis, ut plerumque  
 in concubantur. Quia enim capitulis illustribus  
 laudantur, quibus & vultis, ut plerumque  
 Oportet tamen, ut quibus & vultis, ut plerumque  
 sed non vultis, ut quibus & vultis, ut plerumque  
 certum, sed hinc sit, ut quibus & vultis, ut plerumque  
 minus libere alibi, ut quibus & vultis, ut plerumque  
 hinc & omnibus, ut quibus & vultis, ut plerumque  
 ad hunc tenent, ut quibus & vultis, ut plerumque  
 eorum, ut quibus & vultis, ut plerumque  
 rationem totius experti, ut quibus & vultis, ut plerumque  
 nocere, & propter avaritiam, ut quibus & vultis, ut plerumque  
 sed hinc sit, ut quibus & vultis, ut plerumque  
 quibus & vultis, ut plerumque

F. I. N. I. S. I. S.






Biblioteka Jagiellońska



star0040141



Curse  
cui  
Paradisi  
xii

Cracoviae  
1598.